


1088
v/224



439.

439.

ANALECTA

SEV

COLLECTANEA

R. P.

MARCI HANSZII

S. J.

PRO

HISTORIA CARINTHIAE
CONCINNANDA.

OPVS POSTHVMMVM

PARS I.


IN STRENAM OBLATVM D. D. SODALIBVS
SVB TITVLO B. M. V. AB ANGELO SA-
LVTATAE IN CAES. REG. ARCHI-
DVCALI ACADEMIA CLA-
GENFVRTI CON-
GREGATIS

Anno salutis MDCCLXXXIII.

Confirmatae sodalitaris CLXXIII.

Typis Ignatii Aloysii Kleinmayer.

1 7 8 2.



ANNALES

REV

COLLECTANEA



R. P.

MARCI HANSEN

24

R. P.

INSTITUTION CAROLINA

CONCINNA

OPUS POSTHUMUM

PARS I

INSTITUTION CAROLINA

M. P. HANSEN


OPUS POSTHUMUM



L. 168 - D

8. IV. 50

AD LECTOREM.





Per occasionem colligendi notitias pro Episcopatibus Germaniae res tulit, ut in multa inciderem, quae ad historiam patriae meae rectius concinnandam magnopere seruirent. Ea non omisi in aduersaria coniiicere. Accedebant hortamenta multorum, studio amandae aut demerendae patriae flagrantium, quibus vel beneficiorum causa vel dignitatis deferre plurimum debebam. Res ipsa invitabat. Videbam enim, quam multa desiderentur in iis, quae hucusque de hac Prouincia prodierunt in lucem: quam multis partibus et quoad priora et quoad media, et quoad posteriora secula; et quoad seriem Ducum eorumque genesim, et quoad foundationes sacras, et quoad alia sexcenta illustrari commode posset, beneficio nimirum documentorum, et quae in libris recentius editis, et quae in manuscriptis repereram. Prouidebam opus fore non poenitendum, si, quae promiscue collegeram, in filum redigerem. Quid multis? Impetum cepi hanc demum operam horis subsociis quoad per alia liceret, hoc in argumentum

expendere. An res cesserit e voto, aliorum iudicium esto. Refecui multa, quae apud Megiserum vel ad rem minus pertinentia, vel testibus aut documentis idoneis destituta reperi: neque Praesides illos Norici, nisi quos probis monumentis adstruere poteram; neque Patriarchas Aquileienses ex professo, neque Salisburgenses Archiepiscopos mihi distincte recensendos putavi: neque pugnas illas et acies, quae in Carantaniae campis magnifice magis quam vere describuntur, exhibui: verbo, ea sectatus sum, ea protuli, quae iustis auctoribus fulcire potui. Nisi tamen me omnia fallant, me certe operae nequaquam poenitet. Eruta permulta sunt, quae altis hucusque tenebris fuere consepulta: obscuritatisque illi, quam haec Prouincia in monumentis literariis adhuc habuit, notitiis haud contemnendis quoquo modo consultum est. Boni proinde consulant ciues mei conatum hunc meum qualemcunque; alii vero, quibus erudiri nihil opus est, hoc, quod aliunde norunt, hic in ordinem digestum aequis oculis aspectent.



DE
REBUS CARINTHIAE
LIBER I.

DE
STATU VETERIS CARNIAE NORICIQUE,
EIVS POPVLIS
AMPLITVDINE, OPIBUS, REGIBVS, ACTIS,
ANTE
DOMINATIONEM ROMANAM.



Etsi Carinthia, quae temporum sunt vices,
hodie nec amplitudine nec opibus inter
ceteras Germaniae prouincias eminent,
fuerat tamen aliquando tempus, quo neutram in
partem vlli concessit, plerisque excelluit. Sed
antiquitate profecto facile inter omnes fert pal-
mam. Praeterquam enim, quod eius incolae, e
quibus et nomen traxit, Carni vltra omnem scrip-
torum memoriam hic loci stabilem habuere sedem,
cum de ceteris fere constet, nihil eorum locorum,
quae modo possident, antea tenuisse; tum illud

egregium, quod iam ante Romanorum potestatem hic nomen et maiestas viguerit Regni. Quid enim notius inter veteres, quam regnum Noricum? cuius quidem regni fines si quam arctissime velim describere, ita describam, prout id Romani definierunt, inter Oenum videlicet et Danubium fluuios, montemque Cecium, quo a Pannonibus dirimebatur, atque inde ad alpes Carnicas: qui certe tractus terrarum amplissimus est. Verum enim vero priusquam Romani victores huc signa proferrent, regnum hoc multo amplius patuit. Quidquid enim agri ultra alpes ad sinum vsque maris Adriatici pandebatur, Carnorum erat regio Plinio teste: quique cum Carnis in vnam gentem coaluerant, Taurisci primum appellati, deinde Norici, ultra Oenum etiam fluuium, ad id omne terrarum, quod hodie Bauaria cis et trans Danubium est, pertinebat. Inde et aeuo medio nihil solennius apud scriptores, quam pro Bauaria dicere Noricum; atque ager ille, quem hodie Palatinatum Bauaricum vocant, nomen et hodie fert, et olim tulit Nortgouiae, quam olim a Noriscis populis habitatam esse in confesso est.

Sed haec priusquam exactius demonstrarem, eo redeo, vnde occeperam, quam auitae scilicet dignitatis quantaevae amplitudinis haec olim regio fuerit. Tametsi autem haec de regno tantum Nori-

rico praedicari queant; illud tamen indubitatum est, potio- rem regni Norici partem Carinthiam fuisse. Quidquid hodie Stiria cis montes cetios, quidquid Carniola est cum Istriae et Foroiulii portione, vel in corpore fuit olim Carinthiae vel eius appendix. Quae quidem Eruditis nec mira nec noua sunt; ceteris vt id in loco probetur, haud erit operosum.

Habuit Carinthia praerogatiuas etiam illas, quas nonnisi maximi Principatus solebant, suos nimirum Comites limitaneos (Marchiones vocabant) ad quatuor orbis cardines dispositos, hinc ad orientem apud Saanam fluuium, qui inde Marchiones Saanenses, aliquando Cileenses, alias Vindici appellati sunt: ad occasum Marchiones Krayburgenses apud Krayburgum Oeni fluminis oppidum: ad Austrum Marchiones Histriae: ad Septentrionem Comites Murztallenses. Ad haec suum habuit Palatinum, Comitem Goritiensem; vt adeo nihil ad maximi Ducatus dignitatem desideraretur. Quo iam nihil mirum, hanc prouinciam labentibus postmodum annis ob auitae procul dubio praerogatiuae memoriam Archiducatus etiam titulo fuisse insignitam. Quod etsi iam ad Carolomanni aetatem inualuisse nonnulli contendunt, ego tamen, cui rigorem historiae sectari propositum est, nec nisi legitimis documentis probatisque Scrip-

toribus deferre, ne scilicet ad ludibrium potius quam ad decus ea res cedat, ad Carolomannum quidem haud assurgo; eo contentus, quod ex Aenea Syluio et ex usu pristino per nummos in Carinthia cufos demonstrari potest. Aeneas certe, qui in palatio Friderici III. plures egit annos, eique ab epistolis fuit, nec ignorare certe potuit consuetudinem palatinam aut prouinciarum Austriacarum dotes, ita de Carinthia: Imperium prouinciae Australes (puta Austriaci) obtinent; et Archiducem appellant, cui ea regio paret. Quae quidem sententia, quod manifestum est, eam vim habet: Si plures contingat esse gentis Austriae Principes, de his ille appellatur Archidux, cui Carinthia paret; quasi nimirum Imperium huius prouinciae character tum fuerit dignitatis archiducalis. Quod utinam Aeneas luculentius explicuisset, causamque et originem eius moris edidisset! Vidi egomet nummos antiquos Maximiliani I. tum adhuc cufos, cum esset princeps iuuentutis, diserta hac epigraphe: Maximilianus Archidux Carinthiae. Quod uti alteri praeter Austriam prouinciae tributum haud facile legitur, ita fuisse aliquid praerogatiuae peculiaris ab Aenea memoriae proditum, dubitari nequaquam potest. Sed haec in antecessum monere libuit, ut cum deinceps Duces tantum Carinthiae non Archiduces ad anti-
qui-

quiora tempora compellavero, ne quisquam succenseat, aut praesudicium aliquod ornamentis patriae importare me velle existimet. Satis maturus, opinor, erit Archiducis titulus, vbi ad Rudolphum III. Archiducem, qui primus hoc eminentis agnomen suscepisse et cum Carinthis communicasse videtur, pervenerimus. Est interim suscepto de Carinthia narratio exordienda a principio.

Carinthia fert nomen a Carnis: ex quibus Carnia primum dicta; subinde autem, vt fit, ex vernaculo *Carnben* voce detorta Carenta, Carnotum, Carnutum, Carnuntum, Carantanum ac demum Carinthia prodiit. Celticus fuit populus, atque adeo indubitato Germanus, cuius nominis et Tacitus in classem Vindilorum connumerat Carinos, et Ptolomaeus inter accolae Rheni Carithnos, et in Gallia Carnutes, similitudine certe nominum parem originem indicante. Scriptis etiam Romanorum et Graecorum compertissimum est, regionum istarum incolae perpetuo Gallos vocitatos esse, quod tantumdem erat ac Celtas, vt qui posterius in Gallorum nomen transiere, Pausania teste; sic, vt ii omnes, qui Germani postmodum susceperunt nomen, ad Scythiam vsque diffusi, ab Romanis Galli nuncupati sint; inquit Diodorus Sicalus. Quo minus audiendi, qui Carnos, Tauriscos, Noricos, eo nomine, quod Galli passim apud Roma-

nos aequae ac Graecos vocati sunt, de Germanorum genere eximendos putarunt; aut si quando Gallos aut Galliam legunt, cogitationem ab his locis auertunt. Qua tempestate nationes Celtarum emensis alpibus Italiam circa Padum, et quod ultra est, occuparunt, Gallia fuit in partes maxime diuisa tres: in Cisalpinam, quae intra Italiam erat, ut modo dixi; in transalpinam seu Superiorem, quae ad occidentem vergebat, hodiernae Galliae respondentem; et Galliam, inferiorem (sic Plutarchus vocat in Aemilio) quae Carnos, et quod erat reliquum Celticarum gentium inter Danubium et mare Adriaticum habitantium continebat. Hoc et Illyricum Strabonis est; ut adeo Carni et Galli essent, et pars Illyrici: dum vtrumque subinde rerum conuersionibus decessit, persistente solummodo natiuo Carnorum seu Carantanorum vocabulo: quod vnde quondam susceptum fit, pro incerto est: neque ego, quod quidam de Tuscis, Rhaetis, Istris, Tauriscis, Noricis aiunt, ab Regibus huius nominis Tusco, Rhaeto, Istro, Taurisco, Norico denominatos esse, mihi probari sinam, ut Carnos item a Carno quodam rege aut Carna Dea appellatos existimem: rotundius haec dicta, quam verius. Malim tandem ex carris, vehiculi genere, aut ex carragine, qua forte castra sepius soliti sint, appellationem accersere, quo pacto Cel-

tas ex tabernaculis vocatos putant. Quanquam hoc coniectare magis, quam afferere liceat. Carni denique audierunt, vndecunque demum. Altissima gentis vetustas est, quae et vnde orta, et quandonam in haec loca deuenerit, memoriam Scriptorum omnem excedit. Diffudit se per haec montana, et vltra hinc ad sinum usque maris Adriatici, vbi Aquileiam, Tergestum, Segesten, Ocrum aliaque oppida aedificauit; inde vsque ad Danubium, vbi Carnuntum; quod quidem ex Carnis esse tam est vero proximum, quam Boiodurum a Boiis, Rhaetobonam a Rhaetis, Venetiam a Venetis. Quod si et Carnodunum Ptolomaeo memoratum ad Oenum fluuium statuas, eousque Carnorum domicilium pertigisse in aperto foret.

Ex sedibus hisce disparatis natio pro situ locorum in classes diuisa duas: in eos, qui campestria circa Aquileiam colebant, et alios, qui regiones intraalpinas: inde Carni alii campestres seu maritimi; alii alpini, transalpini, montani, seu vsitato id temporis montanorum nomine Taurisci. Neque enim credas velim, Taurici nomen esse nationis cuiuspiam singulare; quin commune fuit pluribus ob situm, siqui nimirum sedem apud iuga montium eminentium colerent, eo fere modo, quo Taurici populi in Asia. Montes enim Tauri vt illic insignes sunt, mediam distrahentes Asiam,

vt Plinius scribit; ita Tauri nomen ad montes excel-
sitate notabiles applicatum et alibi esse expe-
rimento compertum est. Neque exemplum pro-
cul petendum. Quot sunt in alpibus Carnicis, qui
in hunc diem Tauri vocantur? Vellachertaurn,
Gasteintaurn, Rottenmanntaurn, Rastättertaurn,
aliique: apud huiusmodi igitur si qui habitarent,
hi Taurici seu Taurisci vocabantur: sic Ligures
apud Apenninum colentes, apud quos et Tauri-
scum Regem humatum fingunt, Taurisci appella-
ti sunt, Plinio et Ammiano aliisque testibus: Tau-
risci item Salassi et Lepontii alpium Heluetica-
rum incolae: sic et apud Ptolomaeum Carpathii
Taurisci dicti; apposito prorsus Tauricorum Asi-
aticorum exemplo: vt adeo paria sane de Tau-
riscis apud Carnos existimes, videlicet haudqua-
quam nomen esse proprium et originarium, sed
adiectitium Carnorum, illorum puta, qui apud
montes illos Tauros cubilia fixerunt, vt latio qui-
dem sono Taurici dicendi essent, qui ore Celtico
Taurisci dicti, quemadmodum et Dacisci, Thre-
cisci, Ligurisci, Scordisci, vulgo Dacische, Thraci-
sche, Ligurische, Schordische; quae Latini lenius
efferunt Daci, Thraces, Ligures, Scordi. Sic igitur
Taurisci, iidem qui Taurici; Norisci iidem qui
Norici, vulgo Nortgoui, pro iis, quorum regio ad
Septentriones est.

Hoc pacto Carni alii Australes seu Austrini vocati, alii Norici: illi erant, qui extra montes circa Aquileiam finumque Adriae porrigebantur; isti vero, qui illorum respectu Septentrionales intra alpes sedebant: quod quidem inter hos et illos discrimen tunc maxime inualuit, quando illi, qui circa Aquileiam erant, ab Romanis occupati sunt: exinde enim illi, qui trans alpes habitabant, nondum a Romanis subacti, Carni Norici, id est Septentrionales vocati sunt, ac subinde simpliciter Norici. Discrimen adeo, quod apud Scriptores aliquando videtur inter Carnos, Tauriscos, Noricos fieri, ad hanc distinctionem referendum est: ut quando Plinius ait: Sauum fluium ex alpibus Carnicis defluere, Drauum e Noricis: item alibi: Iuxta Carnos quondam Tauriscos fuisse, nunc Noricos: et quod Strabo habet: Rhaetos et Noricos vsque ad alpium summa tenere, et Italiam versus inclinare, hinc Insubribus, illinc Carnis propinquos et Aquileiae tractui: haec et similia, inquam, eo sensu accipienda sunt, quo ad tempora Strabonis et Plinii res erant, facto iam inter Carnos Australes, qui simpliciter ab Romanis Carni dicti, et Carnos Septentrionales, qui et Tauriscos alias, et postmodum Norici appellabantur, discrimine: quo sensu vere dictum, Sauum amnem ex alpibus Carnicis defluere; illae enim alpes, ut po-

te extremae versus Austrum, ad Carnos simpliciter ita vocatos pertinebant: a quibus diuersi erant Carni Norici, a quibus Drauus exibat. Ad hunc modum *juxta Carnos*, in idea Plinii conceptos, Australes inquam et Romanae ditioni subiectos, contigui quondam Taurisci, puta Carni Taurici fuerant; qui iidem postea Carni Norici. Hac forma et Strabo interpretandus est. Certe enim eo spectare Geographi illi non poterant, vt Carnos vnice intra Italiam concluderent: in quo profecto longissime aberrassent a vero, quandoquidem vel ipsum nomen Carnorum, quod intra alpes perpetuo haesit, et inde Romanis expulsis postliminio reuixit, ita vt iam pro Tauriscis et Noricis Carni, Carantani, Carinthe appellarentur, satis probat, minime extinctos fuisse in his regionibus Carnos. Loquebatur itaque Strabo et Plinius e stilo Romano, quo tum illae Prouinciae distinguebantur sub Carniae et Norici nominibus, non ex diuersitate nationis desumptis, cum eadem re ipsa esset natio, sed ex situ diuerso: quemadmodum a cantrario, cum Rhaeti et Boii diuersa esset natio, Romani tamen prouinciam illam, in qua Boii degebant, intra Lycum, Danubium et Oenum inclusam, cum re ipsa essent Boii, stilo suo Rhaetiam secundam, ac nonnunquam Vindeliciam appellabant, id adeo non ex natione sed ex

situ, quod nempe Boii Rhaetis et Vindelicis essent vicini, sub eadem Praefectura contenti. Quod ergo sciendum est; Romani prouinciis nomina non semper e nationibus isthic habitantibus imponebant, sed e diuisione ciuili et dispositione Praefectarum, sic vt, cum alia esset hic et ibi Praefectura, inde et diuersum fingerent nomen prouinciae; aut vbi in pluribus regionibus esset vna Praefectura, plures illas regiones sub vnum nomen colligerent. Huic proinde stilo ciuili etiam scriptores Romani se accomodabant: inde est, quod apud istos et Carni sub Norici, et Boii sub Rhaetiae nomine per tempus omne dominatus Romani delituerint: mox autem inde conuersis rebus emerferint, natiuis suis nominibus restituti.

Hoc intellectu legenda sunt etiam illa, quae de Carnis et Tauriscis aut Noricis referuntur gesta diuersa. Carnos narrant fuisse conditores Aquileiae, Tergesti, et aliorum circa oppidorum: Tauriscos autem aedificasse Noreiam, item Nauportum: rursus Tauriscos coloniam duxisse in Pannoniam, fuisse Scordiscis vicinos, esse deinde a Dacis deletos. Erant haec acta diuersa, sed nationis eiusdem, quae vt diuersis in locis sub distinctis nominibus habitabat, ita diuersa exantlabat et acta et fata: quo et factum, vt eadem natio pars mature subigeretur a Romanis, pars li-

ber-

Veritatem diutissime tueretur. Et haec ipsa, quam scribimus, historia Carnos quidem Australes suo loco relinquet, in Carnis autem Tauriscis seu Noricis tota versabitur, sic tamen, ut dum hos voco Carnos; illos, quos Strabo; Plinius aliique scriptores Romani Carnos vocant, e nomine Carnorum haudquaquam velim proscriptos. Neque tamen, dum Tauriscos et Noricos in Carnorum nomen confundo, id velim intelligas, tanquam omnes, qui his in locis olim sedes habuerunt, Carni origine fuerint, aut nihil usquam adventitiorum hic habitavit. Certe enim nisi Carnos Aborigines fuisse his in terris existimes, minime dubium, quin ante istos aliae gentes isthic patriam haberint, iidemque ex Tauris montibus, qui annosiores utique Carno populo fuere, Taurisci vocati sint, eorumque saltem reliquiae inter Carnos perstiterint; quo iam consequitur, alios aliquos fuisse Tauriscos hic loci, praeter Carnos Tauriscos; quo et referendus erit Strabo, dum memorat Tauriscos illos, qui in Pannonia degebant, fuisse vulgo dictos Liguriscos; quod indicio foret, coloniam Ligurum huc aliquando commigrasse, qui Tauriscorum nomen ex patria deferentes (nam et apud Ligures diximus Tauriscorum nomen viguisse) in Pannoniam progressi geminum ibi nomen et Tauriscorum et Liguriscorum a plebe sortiti sint.

Quo

Quo recte probatur, ipsos cum essent origine Ligures, nomen alterum tulisse adiectitium e suis montibus, Tauriscorum. Quod ipsum est, quod de Carnis dicimus, habuisse scilicet nomen geminum, natale alterum et agnatum Carnorum; alterum Tauriscorum aduentitium. Sed haec quidem ita sint de Liguribus et Carnis Taurifeis. Hoc longe secus accipiendum de Boiis, qui et ipsi ex Italia pulsati ad Tauriscos Pannonios se contulere; ibi mixti quidem cum Taurifeis, nomen tamen Boii retinere constanter, eo quod e Tauricis illis seu montanis hominibus ipsi orti non essent; ceterum intra Carniam ipsam mediterraneam quae fuerint populorum classes, videndum.

Carnia nomen erat summarium et generale regionis vniuersae: hoc, vt fit, in suas species subdivisum erat, puta in varia pagorum nomina. Huiusmodi erant Ambidraui, Ambisau, Ambisontii, qui fluuios Sauum, Drauum, Sontium accolebant. Seuaces seu Sebaces Ptolomaeo noti, qui apud riuum e lacu manantem, vulgo Seebacher; Lingones in pago Lungau; Pennini, qui in alpibus Pinianis, in quibus ortos volunt Pinsgouienfes; Norisii qui in tractu Noring dicto; Glintidiones, quos Lazius apud Glanum amnem collocat, Luetii in Luetach; Taulantii in Taland; Cambei in Camertal; Merromenni in Merenteyn; Pyristei

seu Pyrustae in Pustertal, hodie Tirolensibus, olim Carnis imputati, qui iidem et Brenni, vocabulo consentiente cum significato graecae vocis Pyr, quae ignem, vstionem significat. Inde et mons Brenner seu Pyrenaeus dictus, seu quod ambustus et arens calore solis, seu quod pyris instructus. At vero Salassi, quibus Megiferus tantum paginae et pugnarum tribuit, ex quibus et Salam urbem exortam perhibent, ad Noricos nequaquam pertinent, quin ad intima Rhaetiae, ad Lepontios Graiarum alpium accolae cum Plinio relegandi. Sic et qui Iapodes in Noricos inferunt, eorumque fines in vallem Appenau et Iunensem extendunt, contra veterum scriptorum auctoritatem pugnant; vti quibus Iapidia Sauo amne dirimebatur a Noricis, ac secundum Liburniam Scardonam vsque porrigebatur.

Hic et obiter configenda est opinio illorum, qui Tauriscus nomen fuisse proprium et originarium gentis huius putant, et non agnomen tantummodo adiectitium, vt nos dicimus. Putant fuisse nomen Latinum e tauro animali desumptum. Inde Stiros hodiernos ferre nomen existimant. Nihil horum omnino. Celticus hic populus erat: Celticum nomen ferebat, non Latium: idque secus praeter omne exemplum erat futurum. Neque in vllis documentis Stirorum nomen olim auditum:
sed

sed postquam Tauriscorum et Noricorum nomen exoleuit, haesit vnice Carnorum et inde Carantanorum, Carinthorum. Quo planum est, Tauriscos illos et Noricos non aliud fuisse, quam Carnos. Denique cum tot fuerint Taurisci, vt dudum diximus, illine omnes Stiri fuere? Quid non et Tauricos in Asia populos Stiros voces? Sed longe secus res habet. Fuit quondam oppidum seu castrum Stiriace in tabula Theodosiana eo situ expressum, quo Stira vrbs hodierna ad Stirae et Anasi confluentem. Inde Comites Stirae: horum dictio in Carinthiam protensa nomen Stiriace prouinciae fecit, vt in loco pluribus.

Tauriscorum itaque nomen dudum exoleuit, idque iam aetate Romanorum, Plinio teste, qui Tauriscos olim fuisse, nunc Noricos ait. Ea degeneratio nominis quando contigerit, non est eadem sententia. Sunt, qui Noricum iam Homero cognitum sesqui et amplius seculo ante Roman conditam existiment, idque arguunt ex eo Poetae loco, quo aes luculentum volens attollere, id appellauit *Noropa Kalkon*: aes Noropium. Ita Clementi Alexandrino *L. 1. Strom.* aes Noropium Homeri pro Norico est: primos esse Noricos, qui ferrum purgarint, et aes elaborauerint. Hoc et Epaphroditus et Stephanus Bizantius ferri Norici fulgorem Homeri auctoritate praedicantes,

Quos ego equidem de vetustate Norici nihil admodum moror : Suidam tamen audio, qui aes nopropium Homeri non gentilem esse vocem sed simplicem probat, deriuatum ab *Ops* oculus et particula priuante *No*, quo significatur tantus aeris fulgor, vt quasi visu priuet, obtutumque reuerberet. Recte : nam et hoc est, quod apud Noricos non tam aes, quod Homeri est, quam ferrum fuerit in laude.

Existimo, tunc quando subacta ab Romanis parte Carniae Australi, quod anno Urbis conditae DLXX. contigit, nomen Noricum inualuisse, propterea quod id Romanis accomodatum esset ad omne illud terrarum, quod trans alpes versus Aquilonem esset, designandum, idque proprium et singulare esset illi regioni; cum nomen Tauriscorum esset etiam cum Liguribus, Salassis, et Lepontiis longe ab hoc cardine differentibus commune. Quo et illud liquet, Noricum tum ita vocatum parte Australi detracta iam haud paulo fuisse minus, quam Carnia prior. Nihilominus subinde factum est, vt seu bello seu foedere multum terrarum accederet, sic, vt vltra Oenum etiam, imo et vltra Danubium ad partes illas, quae inde Nortgouia dicta sunt, protenderetur. Nariscorum eam sedem fuisse auctoribus vetustis proditum est. Quin ego Noriscos potius legendos existimo, eosdem

dem scilicet cum Nortgouis, quae vox vernacula quid demum aliud est Latinis, quam Norisci seu Norici? Sed haec interim; dum infra de amplitudine Norici veteris ex professo disputabo. Regni etiam fastigio quondam claruisse, certum est. Id autem an iam tum sub Carniae nomine, an postea sub Norici duntaxat, haud satis liquet. Regnum Noricum et Iulio Caesari et Velleio nominatum est; regnum Carnicum non item. Quos vero Reges Carnorum Lazius et Megiferus coronant, vndeunde sumti sunt, et Carnis inuitis Diis attracti: certe nullus aliquis satis exploratus. Brennum illi Carnorum regem vocant, inde Bathanatum, Thassilonem, Theodonem, Ditmarum, Baermundum, Cincibelem. Pluris vera quam speciosa sunt. Fuerunt tamen in texendis praesertim Regum et Principum nominibus apud omnes nationes, qui incantare mortales quam docere maluerunt. Diuinos istos insuper habeo.

Multis a principio aetatibus Celtae sine imperio, sine lege, sine republica agitarunt. Vis omnia poterat. Qui deinde in vnum coiuerunt, certasque sedes legerunt, et horum plurimi per tribus et contubernia diuisi consensione et foederibus et affinitatibus inter sese citra communem et publicam auctoritatem egerunt. Hoc pacto Noricis finitimi Pannonos et Iapodos olim: sic et

Carni primum: postea tamen periculis edocti Reges habuere; sed ex quando temporis, incertum. Sunt, quibus chorum inter Reges ducit Noricus, seu Norix; sunt, quibus Iason, qui cum agmine Colchorum has in terras appulerit, opibus magnis in Argonauti sua, quam aduerso Istro et Sauo et Nauto adegerit, et inde per alpes transportatam humeris in mare demiserit, aduectis. Sunt, quibus Medea Iasonem persecuta apud Carnos imperitasse, regiamque in Medeae monte, qui in Carnis est, habuisse videatur. Sed haec ad Graecorum commenta. Maximus fama Gallorum Senonum rex Brennus fuit, qui Romana per impetum potitus est vrbe. Hunc profligatum a Camillo gentem suam trecenta hominum millia ad quaerendas novas sedes eduxisse, ducibusque auibus (augurandi enim artem prae caeteris Galli callebant) per strages barbarorum Illyricos penetrasse finis, auctor est Trogus. Id actum anno vrbes conditae CCCLIV. Pars iuxta finem vltimum Adriacae coloniam fecerunt, extremi omnium Gallorum, vt Polybius scribit, ex quibus oppidum Senofezium et Senia: pars in Pannoniam et Carnicas alpes traducti, teste Appiano. Sed hic quidem Brennus licet Carnos sub iugum miserit, Senonum potius Rex fuit, quam Carnorum. Bathanatus apud Scordiscos, qui a Carnis longe diuersi erant, regnum

num gessit, apud Savi et Danubii confluentes. De aliis nihil compertius. De vno Cincibile momentum videtur aliquod apud Liuium esse, quod alibi expendam. Tota regni memoria fere redit ad Vocionem; qui tamen non iam sub Carniae sed Norici nomine Rex salutatus est. Sed haec infra disertius explicabimus, vbi rerum gestarum seriem ordine temporum exequemur: nunc adhuc in regionis descriptione versamur. De nomine, situ, partibus, amplitudine, dignitate regia Carniae seu Norici dictum haecenus est; nunc porro de oppidis, opibus, ingenio soli et hominum, vt olim erant, dicendum.

Intra tantum regionis ambitum haud multum, quod quidem claruerit, oppidorum. Fuit ea Celtarum seu Gallorum veterum consuetudo, villas habitare nullis septas moenibus, apparatus omnium prorsus expertes agere; in terra superstrato gramine dormire, bellicas solummodo res atque agriculturam exercere, et simplicem vitam viuere, neque scientiis neque artibus aliis operam dare; diuitias omnes in auro et pecudibus habere, quod haec sola, cum ferret necessitas, quocunque liberet, facile transferri possent. Haec et alia Polybius. Quod ergo Plinius (L. 3. c. 20.) de Noricis, Rhaetis atque Vindelicis adnotauit, hos omnes degere in multas ciuitates diuisos, id

non ad oppida pertinet, sed ad tribus et pagos, in quos erant discreti, quo pacto de Boiis in Aemilia degentibus idem Plinius tradit, in tribus CXII. fuisse digestos. Attamen quidquid de ceteris Gallis sit, Carnos certe perquam studiosos fuisse oppidorum docent ea, quae in tractu maritimo condidere Aquileiam Tergestum et alia: rursus in Pannonia celebre illud Carnuntum meratura succini famigeratum. A Carnis porro Tauriscis condita Noreia, quae nescio, num fuerit proprium et peculiare vnius oppidi nomen, an potius generale et conciliis omnibus Noricorum commune, sic vt ubicunque locus esset maioris Noricorum conuentus, id vocaretur Noreia, seu oppidum Noricum. Eiusmodi Noreia in finibus erat Adriacis fodinis auri famigerata; alia item et tertia in mediterraneis Norici, vbi eas exhibet Tabula Theodosiana. In Pannonia quoque Noracum seu Noricum ciuitatem auctores quidam Graeci Stephanus Bizant. et Epaphrod. prodidere. De Situ Noreiarum istarum diuinare perdifficile est. De Noreia, quae fuerat in Carnis, ita Strabo (L. 8.): Extra Venetorum fines Aquileia sita est: flumine ab Alpibus descendente determinatur; per quod sursum versus nauigatur stadiis mille et ducentis ad urbem vsque Noream: vbi Cn. Carbo collatis aduersus Cimbros signis

re infecta discessit. Haec sententia crucem fixit Geographis, cum alii Strabonis regulae insistentes Noreiam ad fluuium Tiliauentum statuerent, qui fluuius occidentalis Aquileiae dirimere eam vnus a Venetis potuit; alii textum corruptum arguant, propterea, quod Tiliauentus torrenti similior aegre nauium sit patiens. Malunt ergo Noreiam apud Goritiam quaerere, quasi Noritiam olim dictam. Et vero Scriptores Veneti Candidus et Dandulus in rebus Patriarcharum Aquilensium, in quibus frequens est Comitum Goritiensium negotium, pro Goritia Noritiam vocant, et pro Goritiensibus Noritianos. Sic et Lazius, sic et Megiferus. Hos ego non tam de loco morror, quam de voce: palam est Goritiam esse vocem Sclauicam: vt enim Gora mons, ita Goriza monticulus. Hoc sensu montes circumfisi Podgora, Staragora hodieum vocantur: inde et colliis et castrum eidem insidens, Goriza: ex quo et oppido nomen.

Propius ad rem est, quod idem Lazius ait, loco propinquo Goritiae inuentum esse Saxum, a Noreensibus monimentum Hostilio et Egnatio Tribuno positum.

C. HOSTILIVS. ET P. EGNATIVS VEITOR.
QVINTADECIMAE. LEGIONIS. TRIBVNVS.
PRO.S.P.Q.R.CVM.BARBARIS.DIMICANTES
PARITER.OCCISI.HEIC.PARITER.IACENT.
SINGVLARE. POSTERIS. EXEMPLVM. ET.
CARITATIS. ET. FORTITVDINIS. NORE-
ENSES. XXI. DIES ATRATI. LVXERVNT.

Hos verisimile est, in conflictu prope Noreiam
Carbonis cum Cimbris occubuisse.

Vicinum Goritiae Salcanum est ad pedem
alpium, vetusti oppidi rudera. Hic et Sontius
annis praetermeat, qui haud procul ab Aquileia
parte orientali in mare deuoluitur, patientior
haud dubio nauium, quam Tiliauentus. Et bene
magna vis nummorum veterum ibi patrum nostro-
rum memoria est effossa: et vicina deprehensa fo-
dinarum antiquarum vestigia; et locus ipse apud
radices montium talibus opportunus.

Hic locus est meminisse de praecipuis opi-
bus Noricorum, quibus olim Noreia gemina ce-
lebrata est, ob auri copiam Noreia Carnica, et al-
tera, quae fuit in mediterraneis ob copiam et bo-
nitatem ferri: Auctor est Polybius de sua scri-
bens aetate (vixerat fere sesquiseculum ante na-
tum Redemptorum) aurifodinas in Tauriscis Nori-
cis maxime penes Aquileiam inueniri adeo natu-
ra opimas, vt, cum de superficie terrae ad duos
fo-

solum pedes detraxeris, fossile confestim aurum inuenias. Fossium aurum non vltra pedes XV. esse: aurum vero ipsum per se partim purum esse ad fabae aut lupini magnitudinem, octaua tantum parte decocta: partim vero maioris indigere digestionis, valdeque vtilissimae. Adiutantibus autem Barbaros Italis bimestri tempore e vestigio auri pretium tertia parte carius venisse totam per Italiam. Quod vbi Taurisci senserunt, eiectis adiutoribus soli venumdedere. Addit Strabo Lib. IV. In hoc tractu, sicut et in Hispania, fluuios aurea ferre grana, vltra fossile, non tamen tantum. Martinus Bautsnerus noster in Annalibus Istriae et Foroiulii ineditis ait, his in locis veterum fodinarum superesse vestigia. Haud procul a Medeae monte (quo Medeam filiam Aeetae Regis cum Iasone delatam ferunt) erutum aurum et fama et auctoritate veterum haberi. Apud Heiduschinam (rudera sunt oppidi antiqui) ad alpium radices videri subterraneos fornices, qui anno salutis 1639. subsederant, extrusa de antro subterraneo trabe, quae secta erat in quadrum, reliquis pilis et sudibus aut aeuo consumptis, aut obrutis humo: quo loco lapides aureo flore conspersos passim inuenias. Ad colles item monti S. Valentini contiguos plures conspici cauernas, alia vestigia veterum fodinarum, quibus locis aetate,

in-

inquit, nostra reperti sunt lapides cinericei squamis auri puri obfiti; alii flore aureo conspicui, qui in ignem coniecti, modica sui parte decocta, purum erant aurum. Haec ipse. Sed notum est passim et peruulgatum, montes illos non Carnicos modo, sed et quod interius est in Carinthia, in hunc diem clam et furtim oberrari a talium rerum peritis, auri vestigandi studio, quod de saxis et arena legunt. Caeterum et in mediterraneis Norici fuere Obeetii populus, qui viri multo locupletes auro a Strabone celebrantur, ad quos aliquando Cimbri vagi et extorres se contulere.

Sed nihil famigeratius ferro Norico, quod ob praestantiam in praenomen abiit. Noricus ensis celebratus ab Horatio. Et Ovidius in Metamorphosi: Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis. Hoc et Suidas, et Stephanus Bizantius, et Epaphraditus auctores Graeci nouere. Tale, aiunt, ingenium est ferri Norici, quod si acuas, splendidissimum lucidissimumque fiat: et Plinius venam ferri Norici a bonitate ante alias laudat. L. 34. c. 25. At enim quod aiunt nonnulli, ferrum Noricum iam Homeri aetate inclaruisse, de eo iam alias sensum nostrum edidimus. Superat hodie dum in Norico praeclarum hoc naturae munus multis in locis Carinthiae iuxta ac Stiriae tanta copia, ut haud alibi aequae. In reliquum de in-

genio terrae Noricae testimonio veterum vix ege-
mus : satis apparet naturam nihilo esse exinde
mutatam.

Noricum aliud montanum fuit , aliud cam-
pestre. De priore Solinus loquitur : Ager Nori-
cus, inquit , frigidus et parcius fructuosus ; qua
subducitur a iugis alpium, admodum laetus. Et
Strabo lib. IV. de eodem Norico scribens : Per
haec alpium montana quidam terrarum extant tu-
muli, qui percommode habitari possunt. De alpi-
bus ipsis hic loquitur, et Apennino monte, qui in
Carnos incumbit : caeterum ab his abiuncta pau-
lum regio vallibus et campis laetissimis panditur,
quae et hodie per Carinthiam et Stiriam omni fru-
gum genere ditissimae rident : quin in ipsis mon-
tium tumulis non arens, vt solet, et torrida gle-
ba, sed et satis et pascuis referta pinguis-
sima ; praeterea nemoribus et siluis arborum genus om-
ne et stirpium educantibus. Sed quod hodie spe-
ctantibus prope miraculo est, vt in ipsis montium
pinnis et cacuminibus tot eminent et colono-
rum aedes et horrea et armentorum cubilia, illud-
que coeli purum prope inuidendum ; hi certe fu-
erunt illi terrarum tumuli, qui et ab Noricis illis
antiquis pro multitudine populi, quo redunda-
bant, percommode fuerunt Strabone teste habi-
tati.

Itaque frugum domi satis: robore et materia etiam abundabant; praeterea pecore et pellibus. Sed praecipuae merces ferri et chalybis, cuius tractandi et poliendi arte ante alios celebrantur. Fuit et genus quoddam vestimenti, quae vestis Norica Graecis etiam scriptoribus praedicata. Hoc illis commercium cum Aquileiensibus, ut Strabo testatur: ab his contra vinum et alia mercabantur. Ita florere, vicinis et formidini, et ubi res posceret, auxilio. Noricos bellaces Dionysius Poeta Graecus celebrat. Ipsi Romani inter ferocissimos habuere populos, Floro teste. Quare et postremi fere omnium alpinorum debellari potuere. Scatebant hominum numero: inde coloniae in Pannoniam deductae; et aliquando trans alpes in agrum Romanae ditionis, ubi novam metantes urbem ab incoepto nonnisi vi et armis ostentatis depulsi sunt. Bella, quae gesserunt, potissimum latrociniis et incursatione constabant. Nec veriti quandoque Romanos laceffere: animos enim dabant alpes et nives, quo bellum non posset ascendere; ut recte Florus. Ipsi olim foederati Boiis cisalpinis et Senonibus pars magna bellorum in Italia fuerunt. Illud Romanis propemodum exitiale bellum, quod a Teutonibus et Cimbris illatum est, Norici haud segniter adiuerunt. Inter Cimbro pugnasse et Noricos sub

rege Boiorige volunt. Boiorigem laudat Plutarchus illum, qui praelio diem Mario condixit. Sed utrum vel ipse Rex fuerit Noricorum, vel isti sub eius militauerint signis, absque auctore est. Sed illa quidem acta per Cimbro et Noricos ad rerum gestarum historiam pertinent, quam nunc aggredior.

Auspiciam ab eo tempore sumimus, quo Brennus Rex ab vrbe Roma depulsus has in oras migravit, Senonumque gentem in agrum Carnicum, reliquumque Illyricum infudit, id quod anno Urbis conditae CCCLXIV. contigisse proditur. Haeserunt his in locis Senones bene seculum et amplius. Tum opibus Graecorum, quas fama celebrari audierant, illecti collecta ingenti multitudine ductoribus Brenno, Caretrio, Acichorio, Belgio et Bathanatio plenis castris anno V. C. CCCCLXX. memorabilem illam ac decantatam fecerunt expeditionem in Graecos, templumque Delphicum spoliarunt: cum inde pars alia fociorum in Asiam vsque traiceret, Galatarum ibi regno fundato: alia viam relegeret in Pannoniam Bathanatio duce. Solenne regum apud Senones nomen Brennus erat. itaque Norici ac Pannonii eo modo, quo dictum, per Senones oppressi, haud dubie sub Brenno rege fuerunt: primum fortasse tunc nomen regium apud Carnos auditum. Ita,

quo-

quoad Senones in Norico rerum potiti sunt, Brennus alius ab alio ibi reges.

Iugo Senonum liberati Carni in loca ab iis relicta circa finem Adriaticum, tum et in Pannoniam colonias eduxere: tum igitur hic Carnuntum, ibi Aquileiam, Tergestum, et alia, quae alias memoravi, oppida construxere agro peramplo in potestatem redacto. Quis ibi tum regno praefuerit, in obscuro. Bathanatus, quem quidam huc inferunt; reuersus ille quidem ab expeditione Delphica fuit, nequaquam tamen ad Carnos venisse legitur; sed circa Istrum collegisse suos, ibique sedem capere iussisse. Hi Scordisci erant, qui multis inde tempestatibus in Pannonia et ad Istrum et ad Sauum, et sub monte (qui ab Romanis deinde Claudius dictus est) Taurisii seu Carnis finitimi egere: donec Romanis postea bellis et populus et nomen extinctum est. Hunc igitur Bathanatum in regibus Carnicis imputandum haud iudico. Sed admoniti, credo, Carni nuper-na Senonum inuasionem consulere sibi didicerunt, haud dubie principe constituto, cuius ductu et auspiciis patriam in casum imminentem defenderent, hoc magis, quod audiebant in Italia vicina perpetuum ardere bellum.

Romani vrbe Roma restituta, abactisque Senonibus, reliquum in Italia Gallorum nomen
ex-

extinguere moliebantur. Hi soli incrementis obstabant. Per ducentos et amplius annos magnis vtrique cladibus pugnatum: multis praeliis Romani victores, multis victi discesserunt. Sed fuit in fati, ut ea cuncta demum fortunae Romanae succumberent. Boii Gallorum potissimi post clades ingentes potiore agri parte multati, in vnum reliquum putauere, ut alibi sedes quaererent. E domiciliis ab Romanis eiectiones ait Strabo. Circa annum V. C. DLXVI. Italia, quam annos iam quadringentos et amplius infederant, decessere, sub Messalae et Salinatoris consulatu. Qui proximus offerebatur extorribus locus, ad Carnos primum seu Tauriscos detulere lares: verum agro, quem colerent, haud inuento, in Pannoniam, quod iam Taurisci regnum extenderant, veluti ad cognatos se contulere. Interea Carni Taurisci (Gallos transalpinos Liuius vocat) ad fines Aquileensium seu popularium suorum egressi ibi locum nouo oppido condendo ceperunt. Duodecim erant hominum millia, rati fortasse discessu Boiorum, qui anno superiore contigerat, in vacuam se possessionem venturos. Sed hoc cum iniussu Romani Senatus susciperent, superantem domi multitudinem et inopiam agri causati, coniuuentem quidem habuere Senatum: sed M. Claudius Mar-

cellus eam prouinciam nactus oppidum iam adfectum inuito etiam Senatu deleuit.

Romani interea, velut rupto et submoto iam omni aggere, quidquid erat ad Padum et ultra agri Gallici, ditione complexi, ad Venetos etiam et Carnos, quos perpetuis foederibus cum Boiis aliisque Gallis cisalpinis iunctos, hostes antehac fuerunt experti, legiones infuderunt, ac primum omnium Aquileiam Carnis ademptam deducta colonia quasi propugnaculum vicinis gentibus obiecerunt, anno V. C. DLXX. Tum quod erat Carnorum seu Tauriscorum eam circum regionem inhabitantium cum vrbe Noreia Romani iuris factum: id primum de Carnia libatum atque detractum est. Illyricum, ait Rufus, ab ora maritima adgressi sumus: Leuinus Consul Adriaticum atque Ionicum mare primus ingressus maritimas obtinuit ciuitates. Interiores Carnos sui adhuc montes tutabantur. Asperum itaque rati Romani eos inuadere, bellum in Istros pro libidine (causam enim haud dederant) mouerunt anno V. C. DLXXV. Id Aulus Manlius administravit, ac sequenti anno confecit C. Claudio et Tito Sempronio Coss. Ibi tum Romani classem apud ostium Timai habuere. Nesatium oppidum gentis princeps apud Formionem fluuium cum aliis deletum. Quies inde tantisper fuit;

cum

cum illud insolenter actum a C. Cassio Consule ad annum V. C. DLXXXII. Hic eam prouinciam recens a Carnis acquisitam administrabat legionum praesidio : cum idem iniussu Senatus iter in Macedoniam ingressus legiones abduxit. Ea re Aquileienses Histrorum et Illyriorum , puta Carnorum et Iapodum inuasionem veriti per legatos Senatum Romanum orarunt , coloniam suam nouam et infirmam inter infestas nationes positam curae haberent , eamque diligentius communiri iuberent , causantes discessu legionum iam se praesidio destitutos. Incredibile Senatui visum incaeptum Cassii , et per se quisque credere Carnis forsitan aut Histris bellum illatum. Eodem tempore legati regis Gallorum Cincibili ad Senatum venerunt (ita Liu. l. 3. Dec. 5.) Frater eius verba in Senatu fecit : questus alpinorum populorum agros Sociorum suorum depopulatum Cassium esse , et inde multa millia hominum in seruitutem abripuisse. Facinus Cassii Consulis hoc erat : hic per speciem ducendi legiones in Macedoniam e medio regressus itinere Carnos Istrosque et Iapodes ad id loci pacatos hostiliter habuit rapinis et incendiis factis. Querebantur nescire se , propter quam causam Consuli pro hostibus fuerint. Senatus honestissima legatione ad Regem decreta , quam C. Laelium et M. Aemilium obiisse idem

Liuius auctor est, multisque muneribus donato Regis germano bonis pactis pro iniuria satisfecit.

Haec de rebus tum gestis Liuius: vbi clarum est, Carnos illos, quibus Cassius intulisse bellum credebatur, trans alpes fuisse; quorum inuasio ab Aquileiensibus timebatur. Horum tamen Rex an Cincibeles fuerit, haud satis apertum: quin focii tantum alpini ab Legato regis vocantur; quod indicio est, regnum proprium Cincibelis extra alpes fuisse: nihilominus cum adeo curam illorum explicet, merito arguitur, Carnos in eius se tradidisse fidem, neque alium tunc habuisse regem: quo secus suo rege freti, alterius interuentu non eguissent. Erat itaque Rex Carnorum Cincibeles, non proprius et natiuus; sed adoptitiuus et socialis, quo sane pacto crediderim, tunc et Carnos et alios circum populos per id aetatis egisse, vt nimirum alicui potentiori vicino se in fidem traderent, eiusque patrocinio sub certis pensionibus aut obsequiis fruerentur. Ita Cincibeles regnum vicinum aliquod in gente Gallica seu Germanica tenuit, quicum Carni in foedere et societate viuebant.

Rebus hunc in modum pacatis limes Carnicus seu Noricus adhuc saluus constabat, quippe quod aliis subinde bellis erant Romani districti. Sed dilati tantummodo Norici videbantur: hoc

pro-

pronius in foedus concessere cum Cimbris, quorum virtute iugum imminens amoliri sperabant. Bellum Cimbricum, quale non aliud, fatale ac prope internecinum Romanis fuit.

Armati trecenta hominum millia, Teutones, Cimbri, Tigurini aliique tripartito agmine in Italiam tendebant anno V. C. DCXL. C. Caecilio Metello, Cn. Papirio Carbone Coff. Cimbri ductoribus Theatmundo et Celte regibus per Noricum perque alpes niuibus opertas in agrum Carnicum penetrant. Ventum ad manus cum Papirio Consule apud urbem Noreiam. Irritum Consulis incoeptum fuit; re infecta discessit, ait Strabo, grauius paulo post apud Sontium amnem multatus exercitu prope omni deleto. Inde fere quinquennium feriae fuere, Cimbris in agro deuicto velut suo bacchantibus, societate Noricorum a tergo fretis. Consilia Cimbrorum ad ipsam subigendam urbem nomenque Romanum excindendum ferebantur. Anno DCXLV. creatus Consul M. Iunius Syllanus acie collata apud Athesin fluium, ne primum quidem impetum barbarorum sustinere potuit; nec secundum anno postero Cn. Manlius; neque tertium Cepio: omnes fugati, exuti castris, caesis octoginta Romanorum et Sociorum millibus praeter sexaginta millia calonum atque lixarum decem non amplius ex toto numero reliquis, ita Florus L. 3. c. 3.

In annum admodum tertium decimum Romani cladibus suis insignia varia loca fecere; dum anno demum DCLIII. conuersae res: hostes a Mario et ad Aquas Sextias, et ad Athesin interfectione deleti: tertia Tigurinorum manus, quae quasi subsidio Noricos infederat alpium tumulos, in diuersa lapsi fuga ignobili et atrociniis euauit. Ita reuoluta in pristinum Noricorum conditio, Sociorum opibus profligatis. Neque tantis cladibus absteriti Romani sitim promouendi trans alpes Imperii posuerant. Iulio Caesari decreta vtriusque Galliae Prouincia cum Illyrico an. V. C. DCXCIV. Maximi belli molem par animus exceptit. Ne quid a tergo moraretur, prudens amicitiam cum Rege Norico coluit. Hic voccio fuit, quem Iulius duobus in locis Commentariorum suorum laudat. Leuir erat Ariouisti Sueuorum regis; quem tamen Caesar suis partibus adiunxit: causum foederis communes inimici praebuere Boii, qui ex Boiohaemo in agrum Noricum per vim ingressi locum armis tutabantur: quos vt expellerent *Norici cum Brencis seu Brennis et Tenaui omni tempore incurfabant.* Haec disertata Strabonis L. 4. narratio ad haec ipsa Voccionis tempora pertinet, quando nondum Romano dominatu coercitis licebat rationes sequi suas, et bella tumultuaria ferere, Caesar libro I. belli Gallici de Hel-

uetorum societate cum Boiis in Norico existentibus ita scribit: Boios, qui trans Rhenum coluerant, et in agrum Noricum transferant, Noreiamque oppugnant, receptos ad se socios Heluetii sibi adsciscunt.

Haec Caesaris relatio multos Historicorum torfit, in variasque duxit sententias. Laboratum in eo primum, quinam fuerit ager ille Noricus, in quem Boii transferant: deinde quaenam illa Noreia, quam oppugnauerant: illa enim, quae erat in Carnis maritimis prope Aquileiam, nimirum quantum longinquo itinere petenda erat, eaque ipsa iam Romanis parebat. Ad haec dubitatum, sedesne tum Boii in agro Norico fixerint, an potius pro more expeditionis militaris tentata Noreia continuo inde cuncti ad Heluetos discesserint. Ita quidem plerique existimant: neque ad amplius verba Caesaris spectare videntur. At mihi Caesarem cum Strabone componenti liquido apparet, tum prorsus accidisse migrationem partis Boiorum ex Boiohaemo in eum ipsum agrum, in quo hodie resident: neque agmine duntaxat ambulatorio in eum diuertisse: sed reuera, vti sedes ibi statuerent: quo enim secus incurrationes illae Noricorum tam assiduae et frequentes omni tempore, vt Strabo perhibet, exerceri poterant? Praeterea idem Strabo, qui suppar acta-

te Caesari fuit, quarto Tiberii Caes. anno commentaria sua scribens, sedes Boiorum ita describit: Rhaeti et Vindelici Boiorum campis imminenti: item: Rhaeti et Vindelici Boiis contermini sunt. Quid ista nisi regionem et campos signant a Vindelicis, id est ab Lyco flumine secundum Danubium protensos, ubi incurfari a Noricis poterant? illam ipsam nimirum plagam, in qua et deinceps et hodie Boii versantur. Palam igitur est, orationem Caesaris: In agrum Noricum transferant, eo pertinere, ut non diuertent ibi tantummodo, sed imo locum sibi stabilem legerint; e quo cum eos deturbare conarentur Norici, bellum sibi conflarint ad ipsa Noreiae moenia.

Quae cum ita consulto disputo, simul illud, quod dudum affirmaueram, in luce collocatum existimo, videlicet, antiqui Norici fines ante dominatum Romanum ultra Oenum fluium ad campos illos Boiorum, ad Lycum vsque pertinuisse: hic enim ipse erat ager ille Noricus, in quem Boii Iulio referente transferant, et in quem Strabone teste Norici omni tempore incurfarant. Norici, inquam, Cisaenani: contra quorum impetus tum excitatum ad Oeni fluminis ostium castrum Boiodurum, e re plane et tempore, quod sane ita congruit, ut labor porro omnis de Boioduri primordiis amputatus videatur.

Quod autem Caesar ait, Boios ab Heluetis receptos, Sociosque belli, quod in Galliam inferre Helueti meditabantur, adscitos, nihil adeo cogit, ut existimemus, id omne Boiorum, quod in agrum Noricum transierat, ad Heluetos abcessisse. Agmen eo missum est triginta duorum millium, illud quod conductum fuerat ad oppugnationem Noreiae. Ita factum, ut in quatuor iam partibus habitarent Boii, pars in Boiohaemo, qui ad aduentum usque Romanorum ibi substiteret; pars in agro Norico, de quibus auxilio profecti Heluetis, deuicti ab Caesare, in Gallia finibus Heduorum collocati sunt; denique in Pannonia, ubi Boii quondam ex Italia pulsi confederant; quos quidem verisimillimum est, sub ditione Regis Norici vnacum Tauriscis, quibus erant permixti, agitasse: illos autem, qui agrum Noricum ultra Oenum occupauerant, an Vocio subegerit, Strabo non docet. Caeterum haesit apud illos Noricum nomen ad seros posteros, adeo, ut etsi Romani subinde eo prolata potestate, Norici fines Oeno fluuio definierint, ea tamen formula popularem usum nihilo moraretur, quin rebus postea mutatis, aeuo, quod medium vocant, Boii Norici, et Ducatus ille Noricus appellaretur. Nihil eo solennius in Boiorum historia. Quare et Norici descriptio apud

Paulum Diaconum, qui Carolo Magno aequalis erat, talis est: Noricorum Prouincia, quam Baioariorum populus inhabitat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Sueuiam, a Meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.

Hos ipsos ego fines Norici antiqui constituo: neque enim, quod posterius obtinuit, recens inuentum existimo, quin per manus a maioribus traditum: vt adeo, quod in dispositione Romana Rhaetia secunda vocabatur, id mere ciuile fuerit regionis nomen Praefecturae tributum, non natiuum et populare. Illos vero Norici fines, quos ab Aquilonis parte Paulus designat, ad Danubii fluenta, malim intelligere tantum de parte illa, quae ab Oeni ostio deorsum cum Danubio procurrebat, quam de parte superiori: isthic enim trans Danubium habitabant Norisci: ita nominat Tacitus, cum reuera Noriscos, id est Noricos appellandos esse vox ipsa popularis probet. Quid enim? Nomen ex hisdem Noriscis omnis illa regio Nortgouiae nomen obtinuit; documentis antiquissimis notae? Ex quo adeo consequitur, antiqui Norici fines ea parte ultra Danubium large ad septentriones abisse. Ibi iam nemus erat Hercynium, intra quod reliquum, qui domi remanserant, Boiorum

rum usque ad annum V. C. DCCXLVI. Augusti XXXVII. colere perseverarunt, dum inde pulsi a Marcomannis ad Contribules suos cis Danubium se aggregarunt, perque Noricum distributi ad usque Pannonias se diffuderunt. Quod ut factum aetate Strabonis, ita probe ei cognitum: A Vindelicis, inquit, est solitudo Boiorum usque ad Pannonias. Hoc lib. 4. hoc et septimo loquitur: ut ne mirere, quod apud Schelstratum (T. 2. antiq. Eccl. p. 225.) in Codice vetustissimo, in quo orbis Romanus descriptus est, legitur: Pannonia ab oriente finitur Trino fluvio; ab occidente desertis, in quibus habitant Boii et Carni. Haec deserta, haec solitudo ipsum Noricum erant, non agrum indicans mortalibus vacuum atque inanem, sed in quibus Boii habitabant et Carni et reliqui Noricorum. In hoc Strabo secutus morem scribendi suum, quo et solitudinem Heluetiorum et solitudinem Getae et solitudinem Dardanorum, Sarmatarum scripserat, non pro mero, ut iam dixi, deserto, sed pro regione, ut ego quidem capio, nemorosa, neque pro eo, ut spatium ferebat, oppidis exulta.

Et haec quidem de Norici antiqui finibus eiusque aduenis Boiis sub Vocione Rege. Id haeret adhuc, de Noreia, quam a Boiis oppugnata

tam refert Iulius. Non abs. re dudum alias dixi de pluribus Noreiis, quas per vetera documenta omnimodis necesse est adstruere. Illa sane, quae iam sub Romanis aetate Caesaris erat, cogitari hic loci nequit: alia proinde fuerit, oportet, vel ad Oenum vel ad Danubium sita, quae ingressis in Noricum Boiis per incursiones assiduas molestiam facebat, quamque propterea sibi illi oppugnandam desumerant.

Sed haec haec tenus; quae rebus subinde incidentibus firmabuntur. Status itaque Norici ut aetate Vocionis erat, etsi a Boiis laboraret, ab Romanis tamen habebat commode fide Regis in Caesarem, quam toto illo nouennio, quo Caesar in Gallia bellum gessit, egregie praestitit, ne affinitate quidem, quam cum Sueuorum Rege Ariouisto habebat, in transversum actus. Id vnum temere factum, quod pars aliqua iuuentutis Pyrustarum priuata libidine in agrum Romanum incurrit, praedamque et vastitatem egit.

Pyrustae populus erat Noricorum ad fontem Draui, qua vallis hodie Pusterthalensium tenditur, et ipsi et reliqui de Noricis ad Illyricos accensi. Ab his finitimam partem prouinciae incursionibus vastari Caesar audierat, (ita refert ipse lib. V. Hist. Gall.) Itaque conuentibus Galliae citerioris peractis in Illyricum proficiscitur;

eoque cum venisset, ciuitatibus milites imperat, certumque in locum conuenire iubet. Qua renuntiata Pyrustae legatos ad eum mittunt, qui docerent, nihil earum rerum publico factum consilio, seque paratos esse demonstrant, omnibus rationibus de iniuriis satisfacere. Accepta oratione eorum Caesar obsides imperat, eosque ad certam diem adduci iubet: nisi ita fecerint, sese bello ciuitatem persecuturum demonstrat. His ad diem adductis vt imperauerat, arbitros inter ciuitates dat, qui litem aestiment, poenamque constituent. His confectis rebus conuentibusque peractis in citeriorem Galliam reuertitur; atque inde ad exercitum proficiscitur. Haec ibi. Ita motus ille compressus est. Dubitatum alias, quandonam Iulius Caesar ad Illyricum finesque Noricorum venerit, quod id in eius gestis non adeo diserte prodatur. Si non vt primum ad bellum gallicum se accinxerat, certe tamen, vt solebat quot annis ab hybernis in Italiam discedere, factum subinde; relicto in ea prouincia Iulii nominis aeterno monumento, vel ea gratia, quod tam propere submotis hostibus eam pacauit; Deducta eius auspiciis colonia, Foruniulium dicta; ex qua ad vniuersam illam prouinciam nomen manauit: et quod negotium cum Pyrustis hortabatur, ostentato eis bello, viam per

alpes, qua proximus erat ad ipsos traiectus, aperiri curavit, excisis rupibus: cuius viae vestigia in hunc diem superant. Ibi conditum oppidum, ex ipso Iulium Carnicum appellatum. Alpes ipsae dictae Iuliae, et quae trans ipsas est vallis irrigata fluvio in Drauum tendente et ipsa et fluuius Iulio nomine insignitus, hodie corrupto vocabulo Geil et Geilthal (Gillia) appellantur. Ad rei gestae memoriam sempiternam insculpta rupi, quae viae imminet, scriptura, quae nimbis et niue pene diluta, patrum tamen memoria legi adhuc potuit in haec verba: C. IVLIVS. CAESAR. VIAM. INVIAM. S. SOLERT. ET. IMPENDIO. ROTABILEM. REDD.

Memorat Sextus Rufus sub Iulio et Octaviano iter per alpes Iulias factum esse. Hoc, quod modo dixi, iter factum ab Iulio, fuitque ea prima ab Romanis in Noricum transcensio Iulio Domitio et Appio Claudio Coff. libata tantum regni parte, quod ne totum subigeret, bello Gallico et, quod istud exceptit, civili est prohibitus. A. V. C. DCCIII. Vbi foedus etiam Regis Norici sibi ex usu fore providebat. Et fidem praestitit Rex, transmissis ad eum, quibus maxime Norici praestabant, equestribus auxiliis. Ipse id memorat, equites ab Rege Norico circiter trecentos venisse (in obsidione Corfinii tum
erat

erat Caesar) horum aduentu se altera castra ad alteram oppidi ripam posuisse. Quies exinde Norico tanto firmior ab Romanis fuit. Attamen pudebat maiestatem imperii adhaerescere ad Alpes Noricas, ibique quasi limitem Romanae potentiae figi. Seu coepta asperitas, seu foedus quod cum Octauiano etiam Augusto renouatum credo, Romanos abstinebat ab aperto in Noricos bello. Iapodes aggredi placuit, eaque claustra in Pannoniam reuellere. Et causam obtulerant, quod Italiam latrociniis, praedationibusque vexauerant, vt Appianus scribit.

Iapodum natio Celtica circa montes Foro- iulio et Aquileiae ad ortum sitos habitabant. Ocras mons est humillima pars alpium, vbi Carnis adiungitur, qua ex Aquileia Pamportum seu Nauportum (Strabo l. 4.) Tauriscorum coloniam onera plaustris deuehebantur: mons item Albius vltimus alpinorum; hodie Planinam vocant: Ad horum montium radices Italiam versus, ipsisque in montibus, vltraque eos sedes Iapodum erant. In hos Augustus, extinctis iam Pompeianis reliquiis bellum per semetipse suscepit anno V. C. DCCXX. id tamen expertus opinione difficiliter: eos quidem, qui citra montes haud procul a mari habitabant, haud multo subegit opere: qui vero montes et vltra eos incolebant, nonnisi ma-

ximo labore perdomuit. Verba sunt haec ipsa
Dionis Cassii. L. 49. Defensi nimirum syluis et locis
arduis et incredibili animorum ferocia Romanum
diu fefellere. Postremo Metulum oppidum gen-
tis princeps haud maiori appetitum opera quam
propugnatum, nec nisi triplici Caesaris vulnere
emptum fuit. Sed edomiti demum aperuere ia-
nuam inuadendae Pannoniae. Sedes et horreum
belli Siscia ciuitas ad Sauum amnem constituta.
Sed hic obiter noto, vanum profecto Lazium
esse, qui Iapidiam ceu Norici partem ad vallem
ipsam Iunensem Carantaniae et Drauum propa-
gat. Tractus fuit ille terrarum montanus iuxta
Liburniam, Sisciam versus: et ipsi Iapodes ad
concilia Liburnorum ventitabant, iusque inde
petebant. Augustus eo bello praeter Iapidiam
ultramontanam Liburnos quoque subegit, vrbe
gentis primaria capta Promonia. Ibi dehinc fi-
xus Italiae terminus: descripta Italia in regiones
vndecim, quarum decima Venetos et Carnos
complexa; qui ex eo tempore in nomen Italicum
translati sunt, parsque illa Carnorum a confor-
tione Noricorum penitus auulsa.

Sed eo victoriae calore itum in Pannoniam:
Scordisci, qui maiorem partem inter Sauum et
Drauum amnes porrigebantur, in prouinciae for-
mam redacti. Signa trans flumen Drauum pro-

mota; obfessa Petouia (Setouia perperam legitur apud Appianum) Imperator acie conferta cum hostibus vibrato lapide genu faucium abstulit: quo vulnere procurato, relicto ad signa Statilio Tauro Romam ad Consulatum secundum capeffendum discessit, collega ei dato Valentio Fullo, qui Consulatum character annum V. C. DCCXXI. Augusti XII. ante Eram Christianam tertium et tricesimum signat. Ita regio Saviensis et secundarum loca Pannoniarum obtenta: inquit Rufus in Breuiario. Sua tamen dignitas conservata Critasiro, seu qui alius tum fuit Taurifcorum et Boiorum in Pannonia Rex.



DE
REBVS CARINTHIAE

LIBER II.

DE
STATV NORICI

SVB
ROMANIS

EIVS
SVB ACTIONE, ADMINISTRATIONE, FI-
NIBVS, DIVISIONE, OPPIDIS,
VICIBVS,

RELIGIONE CHRISTIANA.

~~~~~

**E**rgo nondum ad Noricos propagata seruitus:  
in Socios credo suscepti sunt. Inter haec mul-  
tiplex Augustum cura incessit: res nouae in Hi-  
spania; parum fidum in Galliis obsequium; a  
Germanis, qui apud Rhenum erant, irruptiones  
assiduae, atque si quibus nouare luberet, promptum  
ab eisdem auxilium; neque remedium nisi lon-  
ginquum, viam propiorem obstantibus Rhaetis,  
qui

qui quamdiu in potestate populi Romani non essent, velut muro septa Italia et a Germanis interclusa erat. Et nouus subinde in Pannonia tumultus eruperat: victi Pannonnes fuerant, non edomiti: iugum abiicere conati, traclis in Societatem Noricis Dalmatisque bellum magnum atroxque, vt scribit Velleius, conflagrunt. In hos M. Agrippa missus. Itaque bellum bipartitum fuit C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vispillone et M. Vinicio suffecto Coss. quod incurrit in annum Urbis DCCXXXV.

Bellum Rhaeticum Tiberio Neroni mandatum. Is prima stipendia expeditione Cantabrica Tribunus militum fecerat; deinde ducto ad Orientem exercitu regnum Armeniae Tigrani restituerat: Post haec Comatam Galliam anno fere rexit: ex hinc Rhaeticum, Vindelicumque bellum, inde Pannonicum gessit: quae ordine Suetonius narrat. De expeditione Rhaetica Velleius haec scribit: Reuersum ex Armenia Neronem (interiecto Praefecturae Gallicae anno) Caesar haud mediocri belli molem experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Caesaris penates enixa erat Liuia. Quippe vterque diuisis partibus Rhaetos Vindelicosque aggressi, multis vrbiū et castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter

functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt.

Itaque aestate vna debellatum est. Colonia ad Lycates deducta, oppidum, quod populares Cifaram appellabant, ab Dea Cifa, cuius erat eximius apud eos cultus, idque in finibus Noricorum, quod adiunctum diserte in vetustissimo Velleji, ut quidem volunt, fragmento legitur, Augustam Vindelicam consensu interpretantur, quae si in ipsis Norici finibus ut ibi dicitur, fuit, necesse certe est, Noricum vetus ad Lycum vsque fluuium pertigisse.

Ab Rhaetis arma in Noricos conuersa. Hi cum Pannoniis conspirauerant, multumque negotii exercitis in Romanum agrum incursionibus praebuerant. Horum omnium Noricorum atque Carnorum impudentissimas incursationes (verba sunt Strabonis) repressit Tiberius et eius Frater Drusus aestate vna. Vnde annus agitur tertius et tricesimus, ex quo quieti ordinatim tributa pendunt. (L. 54.) Dio Cassius ait, Pannonios fuisse Noricis causam seruitutis, vulgata scilicet belli culpa. Haec acta Tiberio et Druso ductoribus, P. Silio Legato anno Urbis DCCXXXVIII. L. Domitio et P. Scipione Coss. ante Eram nostram septimo decimo,



Appianus Carnos et Noricos iam antea tributorum aliquid pensitasse scribit: sed hoc nimirum societate Pannonum freti excutere tentaerant, non leui Romanis, vt penitus subigerentur, labore dato: Maiore, inquit, labore capti sunt, atque ad tributa, quae soluere desierant, compulsi Docleatae, Carni, Interfrurini, Nariisii, Glintidones, atque Taurisci. Vbi obiter noto, inter istos nominari etiam Carnos, haud dubie intramontanos, a maritimis illis distinctos, vti qui iam dudum exempti Noricis in Italiae corpus fuerant compacti.

Difficultatem in Noricis perdomandis etiam Florus testatur. Ad septentrionem conuersa ferme plaga ferocius agebat: Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatae, Mysii, Thraces et Daci, Sarmatae atque Germani. Noricis animos dabant alpes atque niues, quo bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones atque Vindelicos per priuigium suum Claudium Drusum Augustus pacauit. Quae fuerit callidarum gentium feritas vel mulieres ostendere: quae deficientibus telis infantes ipsos afflictos humo in ora militum aduersa miserunt. Haec Florus. Ita in cumulum victoriae Rhaeticae Pannonicaeque (nam id etiam bellum Tiberius confecit) Norici venere, per-

ducta ad liquidum Rufi sententia, strictim loquentis: Alpinis omnibus victis Noricorum accessere prouinciae, ea certe gentis laude, quod postremi omnium iugum receperint. Eodem igitur factum tempore, quod Velleius de Tiberio praedicat; Rhaetiam et Videlicos ac Noricos, Pannoniamque et Scordiscos nouas Imperio Romano subiunxisse prouincias.

Sunt, qui narrent, Tiberium Noricorum aciem profligasse in agro Leobienfi; victoriae tropheum illic statuisse in loco, quam Trophey hodie dicimus: viam praeterea nouam per montem aperuisse, vbi maiorum memoria detecta sint haec incisa rupi verba: TIBII. VIA. id est Tiberii via: quae subinde rei gestae abolita recordatione secus a vulgo intellecta causam dederint viam illam appellandi Diebsweg. Quae suo loco sint.

Caeterum apud Noreiam urbem, quam haud procul iis locis abfuisse et Tabula Theodosiana et fodinae ferri, quibus vrbs illa claruerat, in hunc diem isthic florentes probant, lauream esse partam, monumentum Lazio Celeiae visum arguit.

MARTI. HERCVLI.

VICTORIAE NOREIAE.

Quae certe memoria quod tandem aliud in tempus

pus aut factum congruat, haud apparet. Epocham igitur subacti ab Romanis Norici ad annum antedictum rite esse constitutam, aut ultra certe differri non posse, vel eo conuincitur, quod Claudius Drusus, quem certum est, ordines in ea expeditione duxisse, eodem anno post cladem Lollianam vocatus est ad Rhenum, ubi septennium, dum vita superfuit, claris insignis victoriis exegit. Ut adeo falli necesse sit eos, qui primum Norici Praefectum seu Ducem Cl. Drusum renunciant. Sane de Duce provinciali Noricae sub Augusto praeclara est inscriptio apud Tarraconam Hispaniae reperta, quae Marcum Porcium Catonem eo loco proponit. (Laz. de R. Rom. pag. 296.) M. PORCIO. CATONI. XVVIRO. S. F. LEG. AVGG. PR. PR. PROVINC. H. C. ET. IN. EA. DVCI. TERRA. MARIQVE. ADVERSVS. REBELLES. H. H. P. P. ITEM. ASIAE. ITEM. NORICAE. DVCI. Quae sic lege: Marco Porcio Catoni quindecimviro sacris faciundis, Legionum Augustarum Praefecto, Praetori Prouinciae Hispaniae citerioris, et in ea Duci terra marique aduersus rebelles Hispaniarum prouinciarum, item Asiae, item Noricae Duci.

Rebellionem Hispanorum haec inscriptio notat; nescio, nupernam illam, in quam Au-

gustus ipse expeditionem, vt Florus scribit, non mandauit sed sumpfit, an recentem aliquam, quam Tiberius extinxisse apud Velleium proditur. Quam certam, inquit, Hispanis parendi confessionem extorserat, parem Illyriis Dalmatisque extorsit. Corrigit hunc Velleii locum Lipsius, ac pro *parendi* substituit *parens*; nescio, quam feliciter; sensus enim euadit mutilus.

Certe Suetonius primam Tiberio expeditionem Cantabricam tribuit, quam Velleius in comparationem vocat victoriae de Illyriis Dalmatisque reportatae. Simul et locus offertur, Catoni monumentum utrobique struendi. Sane inscriptio modo recitata docet, Catonem simul aduersus rebelles Hispanos Ducem, simul Noricae extitisse: atque adeo potuit, quod gliscendibus adhuc nupernae rebellionis reliquiis, quas Tiberius oppresserit, inde Noricis occupatis simul Cato Dux his impositus, simul ad Hispanias contra novos fortasse motus cum imperio terra marique fuerit amandatus. Quidquid demum id facti fuerit, de Praefecto tamen Noricis sub nomine Ducis imposito ex data scriptura compertum est. Sic et Rhaetia sub dispositione Ducis, sic Pannonia, sic Maesia, sic et alia fuere. Quod adeo Ducis nomen haudquam sic intellige, quemadmodum hodie Duces

appellamus regionum suarum Dominos, dignitate personis inhaerente: neque enim id erat principatus nomen sed officii, quorum potestas et imperium non auctoritate propria sed delegata ab Romano Principe valebant, reuera non aliud quam Praefecti, altioris tamen ordinis hi erant, quam aut Tribuni aut Praefides vtcunque: cuius officii vim Theodoricus Gothicus Italiae Rex in epistola ad Seruatium Rhaetiarum Ducem explicat: Decet te honorem, quem geris nomine, moribus exhibere, vt per prouinciam, cui praefides, nullam fieri violentiam patiaris, sed totum cogatur ad iustum, vnde nostrum floret imperium. Quae quidem descriptio et ciuilem ac praetorialem in eiusmodi Duce potestatem in iure dicundo, et militarem completitur. Haec sparta Ducum prouincialium fuit: cum Duces limitanei militaria tantum curarent, neque aliud essent, quam quod olim in Germania Marchiones, Marchicomites dicti.

Praeter Ducem tamen legitur Noricis, vt et Rhaetis, etiam Procuratorem praefuisse, Tacito id attestante: (L. 1. Hist.) Duae Mauritaniae, Rhaetia, Noricum, Thracia, et quae aliae Procuratoribus cohibentur. Id officium nobilitatis erat equestris et curam alias tributorum ac vectigalium colligendorum habebat,

vulgo fiscalium; quandoque et pro Praefide provinciae sumebatur cum potestate iuris dicendi, quod maxime in provinciis hostium furori expositis, Duce militiae curante, regendis domi provincialibus necessarium erat.

Noricum sub Augusto et diu postea, ut ipsum erat indivisum; ita vno tantum rectore Duce, vno Procuratore gubernabatur: sed exinde quam est bipartito divisum, in mediterraneum et ripense, distinctos accepit Praefides; praeter Ducem limitaneum, qui Praefidi Norici Ripensis ad arcendos a finibus barbaros erat praesto. Verum his immorari non licet: quem enim catalogum Ducum et Praefidum Norici Megiferus laudat, diuinatorium opus est; et mera nominum per incertas coniecturas ad Noricum temere applicatorum aucupatio, quam sectari non libet; haud tamen neglectis in loco, siquos Norici praefectura aliquando functos esse prudens ratio suadebit.

Haud dubie res ipsa monebat, duces natos et strenuos Norico praefici, quod iugum insuetum eo molestius ferrent, quo grauior erat e regno in seruitium casus. Et formidabiles erant vicini, quorum impetum nec legiones Romanae, nec altus ipse Danubii fluminis alueus satis arcebat. Improvisi aderant, et fructum

pacis, ad quam post tantum bellorum compo-  
nere Prouincias Augustus gestiebat, dum in eo  
esset, vt Ianum clauderet, subito terrore tur-  
bant. Insolentior Boerobistes Dacorum Rex,  
de quo ita Strabo: (L. 7.) Intra paucos annos  
latum adeptus imperium, trajecto audacter Istro  
Thraciam diripiens vsque in Macedoniam et Il-  
lyricum, magnum Romanis terrorem iniecit;  
deque Gallis finitimis, Thracibus et Illyriis prae-  
das ingentes reportauit: Boios autem et subdi-  
tos Cretoscyro populos funditus deleuit, simul  
et Tauriscos. Circumiacentes Istrum locos, vt  
idem alio loco refert, Boii ex Italia deiecti si-  
mul cum Tauriscis habitauerunt, bellum assidue  
contra Dacos gerentes; donec tota ipsorum gens  
funditus fuit excisa. Et rursus: Illyricae re-  
gionis, quae in medio Italiae et Germaniae sita  
est, partem vastam desertamque reddiderunt Da-  
ci, debellatis Boiis et Tauriscis Gallicis genti-  
bus Critasiro subiectis. Inde illa deserta, de  
quibus Plinius: (L. 3. c. 24.) Noricis iungun-  
tur lacus Peiso, deserta Boiorum.

Hoc memorabile illud et scriptoribus ce-  
lebratum Carnorum et Ligurum Tauriscorum,  
Boiorumque excidium in Pannonia, quam pro-  
lixis iam aetatibus infederant: eorum postremo  
Rex Critasirus fuit. Florus ait, Dacos bene-

ficio locorum fretos ( montibus enim inhaerebant ) quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas , decurrere solitos et vicina populari. Visum est, inquit, Caesari Augusto, gentem aditu difficillimam submouere. Misso igitur Lentulo ultra vltiorem repulit ripam ; citra praesidia constituit. Ita in praesens Noricis cautum. Sed aliud haud paulo grauius Noricis et Pannonibus parabatur malum a Marcomannis. Horum sedes apud Rhenum fuerant : Drusus ea parte gesserat bellum , magna ex parte domitor Germaniae. Marcomannorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in trophaei ( Flor. l. i. c. 12. ) modum excoluit. Sed inter eas laureas Drusus elatus est A. V. 745. seipso et L. Quintio Crispino Coss. Druso successor datus Tiberius transito Rheno sic hostes attriuit , vt Germaniam ( si Velleii grandiloquentiae credimus ) in formam pae-ne stipendiariae redegerit prouinciae. Maroboduus inter Marcomannos principatum occupauerat : is ab annis iuuenilibus versatus Romae , multis ab Augusto beneficiis excultus fuerat. Certum imperium complexus animo suos ab Romanis procul auocare statuit. Ab Rheno refugians ad interiora , Boiohaemum Boiorum sedem Hercinia silua cinctam inuasit , pristinisque cultoribus inde pulsus ibi consedit , propagato ad

No-



Noricos vsque riparios regno. Hos exinde praecipuos ea parte hostes Norici Romanique habere. Boii suis, quemadmodum retuli, sedibus eiekti, quonam gentium se condiderint, vt adeo dehinc alte delitescerent, multi grauesque scriptores in incerto habuere. Sed nescio quid vetet credere, secutos ipsos maiorum vestigia transisse in Noricum: alicunde certe Boios, qui Noricum ad vsque Pannoniam Strabone teste complerunt, venisse necesse est. Vicinia locorum hortabatur, vt isthinc eiekti hic receptum quaerent. Fefellit nimirum eruditos viros verbum Strabonis: Solitudo Boiorum; tanquam terram vsquequaque desertam et inhospitam indicaret: quod tamen longe secus est, vt iam alias exposueram.

Migrations hae factae sunt sub annum Urbis 746. et sequentem, ante Eram nostram circiter octauo. Ex eo bella siluerunt, Ianique fores clausae, **PRINCIPE PACIS** sub haec ipsa tempora aduentu suo mundum beante. Eram Christianam ab anno Urbis 754. cum Pagio defumimus.

Marcomanni, quod hi fere soli supererant in Germania, qui vinci possent, magnae rerum permixtioni in Pannonia et Norico non tam causam quam occasionem praebuere. Feriebat Ro-

manorum oculos res illorum potens pollensque,  
ae scilicet, quod soli non seruiebant. Duabus  
a partibus eos aggredi visum: inde Sentius Sa-  
turninus per Cattos et Hercyniam ducere in Bo-  
iohaemum iussus, hinc Tiberio viam a Carnun-  
to, qui locus Norici regni proximus ab hac par-  
te erat, tendente. Incaeptum amplum atque  
magnificum defectio Illyricorum abruptit. In-  
mensum exarsisse bellum scribit Velleius. Uni-  
uersa Pannonia, insolens longae pacis bonis,  
et adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus eius  
gentibus in societatem adductis, ex constituto  
arma corripuit. Animus erat Italiam inuadere  
iunctum sibi Nauporti et Tergestis confinio. Tu-  
multus A. V. 759. Erae nostrae sexto coeptus  
post triennium Tiberii ductu sopitus est, toto  
Illyrico, quod inter Italiam regnumque Nori-  
cum et Thraciam ac Macedoniam, interque Da-  
nubium flumen et sinum maris Adriatici patet,  
perdomito et in ditionem redacto. Quae Sue-  
tonius dum scribit, regnum Noricum ex eius  
belli contagione satis aperte, iuxta ac Italiam  
eximit: neque Velleius de Noricis quidquam.  
Ita discusso periculo, quo Caesar ipse et  
Italia omnis contremuerat, omitti in praesens  
Marcomanos consultius visum. Satis fuit, eos  
a locis Pannoniae inter Danubium et Drauum  
quae

quae teste Rufo occupauerant, esse pulfos. Limes inter Romanos ac barbaros ab Augusta Vindelicum per Noricum, Pannonios ac Moesiam constitutus. Noricum litem firmari placuit insigni praesidio Marcomanis opposito apud ostium Anasi fluminis. Ea prima et splendidissima Romanorum colonia in Noricis fuit, auspiciis ipsius Augusti Caesaris dedicata; quam vel ob lauream de Illyricis reportatam Laureacum appellari voluit, vel ex amniculo subeunte, vulgo *ſordh*, dubio tamen extante, vter ab altero desumpserit nomen. Regni adhuc titulum Velleius et Suetonius Norico proxime tribuunt, honore vocis nondum antiquato, quanquam sublata re utique cum diserte dicatur Tiberius Noricum novam Imperio subiunxisse provinciam, id est, ni fallor, in formam provinciae redeisse.

Caeterum nihilo diminuta videtur eius amplitudo sub Augusto, neque exempta illa portio, quam Boii tenebant, trans Oenum: id quod vel ex recensione limitis proximè facta (quam Rufus ex veteri haud dubie formula addueit) liquere potest. Limes ductus est ab Augusta Vindelicum per Noricum, Pannonias et Moesiam: nulla mentio Rhaetiae: igitur illi campi Boiorum qui proximi erant ab Augusta Vindelicum, nondum erant sub nomine Rhaetiae: at neque sub

mine Vindeliciae. Strabo enim, qui anno tertio et tricesimo post, quam Norici quiete et ordinate tributa pensitabant, suum opus conscripsit, proinde circa annum Erae Christianae 17. Vindelicos ait imminere Boiorum campis: esse Boiis conterminos: hoc certe non ad Aenum sed ad Lycum referri debet. Ad Aenum namque si pertinuissent Vindelici, quibus amabo campis Boiorum inde imminere poterant? inde enim regio vergens ad ortum non in campos admodum funditur, sed in colles potius et montes asperatur. Cumque Boiis fuerint contermini, eos sane non includebant, quasi Boii tum sub nomine Vindelicorum latuerint, sed excludebant. Haec in gratiam eorum, quae saepius in hoc argumento sunt agitata. Sed ut esset optandum, quo Principe, quoque tempore accuratior illa partitio prouinciarum facta sit, rescire, ita id a nemine, quod sciam, pro certo proditum est. Anticipitem quaestionem spectanti ad alia tractare non vocat. Id certum, sub initia Vespasiani iam campos Boiorum trans Aenum fuisse Rhaetis adnumeratos, eumque fluuium fuisse terminum Norici. Scribit enim Tacitus de Sextilio felice, eum cum ala Auriana et VIII. cohortibus ac Noricorum iuuentute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Rhaetos Noricosque

interfluit, missum, contra molitiones videlicet Vitellianorum.

Atque ita tum fines Norici inter Oenum, Danubium, montes Cetios, alpesque Iulias seu Carnicas continebantur. Ptolomaeus, qui sub M: Aurelio scribebat, eum ambitum hoc modo definit. Noricum terminatur ab occasu Aeno fluuio; a septentrione ea Danubii parte, quae est ab Aeno vsque ad montem Cecium; ab ortu solis ipso monte Cetio; a meridie vero parte Pannoniae superioris, quae est infra dictum montem, et quod inde est supra Istriam, monte Caruancas appellato. In quibus cum caetera satis explorata sint, vnus limes orientalis per anfractus montium diditus atque distortus haud satis certas explicat metas. Id generatim: qua tellus e montibus hodiernam Stiriam orientali parte stringentibus in planum demittitur, inde fines Norici Pannoniacque primae seu Superioris recte desumserim, serie montium quandoque sinuata, nonnunquam vallibus fluuiisque discreta. Neque amplius lucis affulget Plinius, (L. 3. c. 25.) Cetium montem ita depingens: Habitat in inde glandifera Pannoniae, qua mitescentia alpium iuga per medium Illyricum a septentrione ad meridiem versa molli in dextera ac laeua deuexitate confidunt. Sed hac in parte rationem ita

subduco, vt cum limitem paulo largius accipiendum putem, mensura ad vices temporum accommodata, qua et factum, vt, quem locum Plinius inter oppida Norica non recensuit, alii passim in Pannonia collocarunt, Petouionem, Amianus Marcellinus impūtet Noricis. Quae vero sint oppida nominata Plinio, paulo post edam. Fuit inter artes Romanorum, non facere tantum prouincias, verum etiam excolere. Id maxime per Colonias et crecta municipia consequabantur. In Norico, quoad monumentis compertum est, prima Romanorum colonia, de qua iam ante memini, statuta Laureaci sub Augusto; Celeiae et Petouione seu colonia seu municipium sub Claudio, quemadmodum et Viruni; inde apud Flauium Soluense sub Vespasiano; sub Marco Aurelio apud Ouilabim, hodie Wels in Austria superiore; denique Iuuaviae sub Aelio Hadriano.

Plus nimio videbatur ampla Prouincia, quam commode quiret ab vno gubernari Rectore. Ergo eam placuit bipertito diuidi, in Noricum Mediterraneum et in Noricum Ripense, sumpto e iugis montium, qui intercedunt, discrimine. Diuisionis huius initium et auctor ignotus est. Plerique ad Hadrianum Imperatorem conferunt. Verum laterculus prouinciarum, qui  
Adri-

Adriano adscribitur, cum inter caeteras etiam Valeriam nominet, eius aetati conuenire nequit. Valeria namque Pannoniae prouincia nomen acceptum fert Valeriae Diocletiani filiae, Galerii Maximiani coniugi, sesqui seculo et amplius post Adrianum.

Distinguendum inter diuisionem ciuilem et naturalem. Hanc offerebat ipsa situs natura; quae proinde cum ipsa regione et rerum natura coepit, illudque discrimen haud dubie popularium vsu loquendi semper est obseruatum. Diuisio ciuilis ex arbitrio et dispositione Praefectarum pendebat, tum inchoata, quando Noricum Mediterraneum et Ripense distinctis coepit administrari Praesidibus. Probari potest monumento utcunque legitimo, id quod alibi producemus, imperante dum Gordiano, Norico uniuerso praefuisse rectorem vnum appellatione Ducis: quousque id obtinuerit, documenta non sufficiunt. Res fere recidit ad aetatem Diocletiani et Galerii et Constantini M. sub quo quos assignare potero Norici Mediterranei Praesides, ita diserte vocatos, quos proinde indubitatum est, a Praesidibus Norici Ripensis fuisse distinctos.

Plinius, qui Vespasiano Augusto lucubrations suas dicauit, dum oppida Norici exequitur, diuisionem naturalem secutus, eorum vnice me-

minit, quae in Mediterraneis vigeant, alte  
pressa mentione Laureaci vel Boioduri, vel al-  
terius cuiuscunque, quorum complura haud du-  
bium est aetate Plinii in Norico extitisse Ripario.  
Sed ei nimirum Norici denominatio a parte poti-  
ore et principe, Italisque ob vicinitatem magis  
perspecta desumpta fuit.

Porro fines, qui alterum ab altero secerne-  
rent, cum vsque apud Geographos sint incerti,  
rudi, opinor, modo intelligendi sunt (vt vulgo  
solet in metis montanis) secundum aquarum et  
amniū decursus. Sed hoc quidem naturale di-  
uortium est. Quid et quousque ciuile pertige-  
rit, vt ex arbitrio pendebat, ita nobis ignotum  
est. Vnaquaeque pars, vt iam dixi, suum ha-  
bebat Praesidem; sed alterum, quod ad Danu-  
bium et fines pertinebat barbarorum, suum prae-  
terea Ducem limitaneum; cuiusmodi legere est in  
codice Notitiam Imperii veteris exhibente, vbi  
sub dispositione viri spectabilis Ducis Pannoniae  
primae et Norici Ripensis Praefectus Legionis  
primae Noricorum militum Liburnariorum cohortis  
quintae partis ad Iuuenſe, id est, apud Iu-  
uauiam excubabat. Ex quo obiter et hoc intel-  
ligitur, Noricum Ripense non tantum secus Da-  
nubii ripam, sed etiam iuxta Oenum et Igontum  
seu Salzam fluuios, vbi Iuuauia castrum et colo-  
nia



nia erat, fuisse porrectum: praeterea licet Norico Ripensi suus moderaretur Praefes, dux tamen limitis idem Pannoniae primae, idem Norici Ripensis erat. Sed ut ambae Noricae suis essent, quemadmodum dixi, instructae Praesidibus, ita Praesides isti Praefecto Diaecesis Illyrici parebant. Omni enim tempore Noricum, licet Gallicis seu Germanicis obsitum gentibus, ab Romanis tamen pro parte Illyrici habebatur: cuius appellationis exemplum dudum ex Iulio Caesare protulimus: idque adeo prius etiam quam Romani has in terras potestatem extenderent. Sed exinde, postquam hi populi sunt in verba a victoribus adacti, quod antehac inualuerat usu, tum e lege et formula sub nomen Illyridis hae prouinciae sunt aggregatae. Septendecim prouincias complectebatur Illyricum, (Rufus in Breuiar.) in his Noricas duas, Pannoniarum duas et reliquas. Rhaetiae duae ad dioecesin Italiae pertinebant. Post Constantinum Illyricum ob amplitudinem diuisum est in Orientale et occidentale: sub occidentali continebantur prouinciae sex, Noricae duae, Pannoniae duae, Sauiia item et Dalmatia. Sed haec cursim; satis tamen ad propositum.

Igitur ut ab genere descendamus ad speciem, Illyrii nomen erat generale, septendecim, ut dixi, conflatum prouinciis. Noricum pars

Illyrii. Carantania pars Norici, idem omnino, quod Noricum Mediterraneum, intra cuius proinde fines oratio nostra deinceps versabitur. Haud temere dictum a geographo vetustissimo, cuius sententiam dudum alibi retulimus, Pannoniam ab Occidente finiri desertis, in quibus habitant Boii et Carni. Mirum, quod non appellavit in commune Noricos: verum secutus, credo, appellationem popularem, qua inter se et ab aliis Boii et Carni nomine patrio vocabantur. Boiorum potissimos, quippe ex Boiohaemo profugos in proximo consedisse, Norico nempe Ripensi, verisimile est; in mediterraneis Carni latere, utrique sub Noricorum nomine, quoad stilus Romanus obtinebat: Sed conuersis aliquando rebus postliminio reuixere.

Ad Romana, quod nunc agimus, redeundum est tempora; a quibus hae terrae quemadmodum sint oppidis excultae, nunc videndum. Noreiae veteres, quot illae cunque fuerint, sub Augusto et adhuc Tiberio saluae erant. Subinde illa, quae fuerat in Carnis, aetate Plinii iam interierat. Sed aliae duae in mediterraneis, etsi a Plinio non memorentur, in tabula tamen Theodosiana sistuntur. Praeter haec cum nihil oppidorum in Norico sub Augusti imperio Straboni aliisque fuerit cognitum, castris tamen ad loca  
edi-

edita sitis frequentem fuisse regionem, Virgilius testis est:

Et sciat aereas alpes et Norica siquis  
Castella in tumulos.

Passim et hodie isthic videre est castrorum rudera, opere haud dubie difficillimo in altissimis rupibus partim laboriosissime structa, partim e petris ipsis exfecta, tanta passim frequentia, ut vix aut rupem aut collem defensionis oportunitate sit visere, quem veteres illi in usum vertere et opere munire neglexerint. Neque dubium est, Romanos ipsos, quod in more positum habebant, multa eiusmodi castella, quippe fraena provincialium, excitasse, cuius documentum sunt nummi veteres et saxa Romanis et figuris et inscriptionibus perarata, quae saepius in nonnullis arcibus inter scruta eruuntur.

Sed ad vrbes ipsas et oppida, quae Romanis ibi rerum potentibus ante caeteras florebant, stilum vertamus. Multa locorum nomina et Ptolomaeus et Tabula Theodosiana recenset, quae propter obscuritatem aevi non licet figere: vnus omnium instar Plinius sit: (L. 3. C. 24.) Rhaetis iunguntur Norici: oppida eorum Virunum, Celeia, Teurnia, Aguntum, Viana, Aemona, Claudia, Flauium soluense. His adde loca, quae proficiscentibus ab Aquileia Laureacum diurnis

mansionibus occurrebant, explicata cum milli-  
arium interuallis in Itinerario Antonini, in hunc  
modum.

Ab Aquileia Laureacum  
millia passuum CCLXII.

Ab Aquileia.

Mansio I.

Via Belloio mill. pas. XXX.

Mansio II.

Larice mill. pas. XXIII.

Mansio III.

Santico mill. pas. XXIII.

Mansio IV.

Viruno m. p. XXX.

Mansio V.

Candalicas m. p. XX.

Mansio VI.

Montana m. p. minus XXX.

Mansio VII.

Sabatinca m. p. XVIII.

Mansio VIII.

Gabrumago m. p. XXX.

Mansio IX.

Tutatione m. p. XX.

Mansio X.

Ouilabis m. p. XX.

Mansio XI.

Lauriaco m. p. XXVI.

Iam si quatuor circiter millia passuum, ut fere fit, colligantur in vnam leucam germanicam, iter ab Aquileia Laureacum colligit leucas germanicas septem et sexaginta cum dimidia. Numerus miliarium in singulas mansiones haud dubie commensuratus est itineri diurno, maior minorue pro ingenio viae. In hac serie locorum satis nota est Via Belloio: vox enim ipsa ducit ad Velam amnem, quem hodie Felam enunciant, apud quem oppidulum est eiusdem nominis; Villa de Felas appellatur in diplomate Friderici I. Imp. pro Patriarchis Aquileiensibus. Eiusdem annis traiectus est, hodie Pont a Fel, limes inter Carinthiam et Forum Iulium. Ab Aquileia ad viam seu mansionem viae Belloio numerantur millia passuum XXX. id est leucae germanicae VII. cum dimidia: quem locum periti locorum me facilius diuinabunt. Inde ibatur ad locum Laricem per millia passuum XXIII. puta leucas germ. VI. Si teneatur via Villacensis, ut tenenda videtur (apparet enim Villacum ex ipsa Via Belloio sumpsisse nomen) coniectandus erit locus ab Aquileia distans leucis germ. tredecim aut quatuordecim: isthinc ad Santicum millia passuum XXIII. vel ut in alio exemplo legitur XXVII. proinde leucae quatermillenariae seu germanicae sex in septem. Crediderim sane in flu-

minis Draui traiectum fuisse mansionem aliquam,  
vel vbi Villacum est hodie, vel in agro vicino  
ad Draui et Geilae confluentes, vbi in hanc diem  
rudera parietinorum deteguntur.

Huic igitur loco Santicum mansionem haud  
absurde accomodabimus. Inde millia pas. XXX.  
seu septem cum dimidia leucae fere, opinor, in-  
cidunt in Frisacum, qua viam regiam olim quo-  
que duxisse, situs ipse locorum conuincit. Fri-  
saci igitur aut isthic alicubi Virunum fuerit, ne-  
cesse est, et nequaquam in Völkmarkt, id  
quod longe esset extra lineam salire. Ultra Vi-  
runum iter erat quinque leucarum, seu passuum  
millia XX. ad Candalicas: exinde itinere septem  
in octo leucarum ventum ad Montana, quae ten-  
dentibus ad Noricum Ripense et Laureacum haud  
dubie erant transmittenda, eadem ipsa, quae  
hodie Stiriam superiorem ab Austria superiore  
disterminant. Illud in dubio est, qua Monta-  
norum parte Romani traiecerint; fortasse, quod  
Lazius arguit, apud oppidum Rotenman. Inde  
ad Pyrum, quem locum frequentia commeanti-  
um fuisse aliquando solennem, probat hospitium  
ea causa aedificatum, hodie Spital cum Presby-  
terorum Collegio. Ex eo loco sectando laeuam  
ibatur per Sabaticam Gabromagum, Tutationem,  
loca ignota, ad Ouilabim; quod hodie Wellsum  
est

est Austriae superioris; quae mansio postrema fuit ante Laureacum.

Hanc viam longe aliter ordinat Lazius: (Rep. Rom. p. 1028.) nam a Belloio ducit ad oppidum Spital Carinthiae superioris: prope enim extitisse Laricem; cuius vocabuli reliquias ait esse in campo Larnfeld, quod vulgus, inquit, nunc praue Lurnfeld vel Lürnfeld vocat, vbi rudera manifesta vetustae urbis cernuntur, maceriae partim dirutae, partim adhuc extantes; hodie S. Peter in Holz. Inde per valles Kaningam, Noryngam, Reichenauiam, Stangen et Veistriz, non plus XV. milliarium spatio Virunum vsque: in medio vetustum admodum esse locum haud procul ab aede S. Iobi, quem incolae Altenburgum et Gradnek dicunt. Ibi Santicum ruinas coniici ex eleuatione poli, quam Ptolomaeus ei tribuit, graduum 45. 30. minutor: praeterea quod isthic exit in Gurkam Sanekius annis ad Santicum vetus alludens. Et haec ita Lazius. Sed praeterquam quod haec via propter montes et valles ardua vix videtur fuisse delecta in viam regiam prae altera longe magis tractabili, quae et hodie obtinet; tum in Larice non recte diuinat Lazius Larnfeld pro Lurnfeld: locus ipse Lurn dictus est, et quod incolae ex annalibus gentilitiis iactant, vetus vrbs Troiana seu

feu Liburnia. In quo minime falluntur: nam apertum huius appellationis documentum est in literis Arnolphi Imp. datis ad preces Waldonis ex Frising. (Instr. Fris. 902.) Quandam, inquit, iuris nostri capellam in Sclauiniae partibus ad Curtem nostram, quae Liburna vocatur, consistentem ad Ecclesiam Sanctae DEI Genitricis, electumque Christi Confessorem Corbinianum, nec non ad Sanctos DEI martyres Primum et Felicianum, quorum in eis partibus in loco, qui vulgo Wert vocatur, conseruata micat Ecclesia, tradimus. Data anno 991. Haec autem Liburna, quo fuerit loco sita, citra omnem ambiguitatem tenetur ex aliis Frisingensium tabulis, (Hist. Fris. p. 1. pag. 273.) quae conuentionem describunt super decimis et Ecclesiis quibusdam inter Episcopum Frisingensem Ellenardum et Gebhardum Salisburgensem: Instrumenti verba sic habent: Cum tractarent de Basilicis, quas in Liburnia Frisingensis Ecclesia habuit, vna scilicet S. Petri apud Frezna, altera S. Michaelis apud Bozsarniza, tertia S. Martini apud Veluz, earundem aduocatus Ecclesiarum Adalbertus iuramento confirmauit, quod praenotatae Ecclesiae terminationem totius populi, qui habitat infra terminos in sequentibus annotatos - - Vid. Hist. Fris. p. 273.

Quae



Quae quidem descriptio regionis Liburniae tam est manifesta, vt in dubium porro verti nequeat: notus est locus Frezna, Veluz seu Wels, Bosarniza; vbi Lisara fluuius in Drauum defluit, vbi annis Mölna: quaeque et reliqua per agrum Spitalensem iisdem fere nominibus hodieque compellantur. Extra controuersiam igitur est, vocem Lurnfeld non ex Larice Romanorum sed ex Liburnia traducem esse.

Verum haec ipsa vox Liburnia tralatitia est ex Tiburnia seu Tibornia, quae vrbs quondam fuit adeo spectata, vt Norici metropolis haberetur, eo plane situ, quem et maceriae veteres, et murorum, qui locum cinxerant, etiamnum extantes reliquiae, et infra cespitem, quem ruderibus aeui diurnitas induxit, satis apparentia larium antiquorum vestigia demonstrant: Vidi oculis hisce, diligenterque iustraui, deducente regionis illius domino Annibale Principe de Porcia (cuius animae pientissimae bene beateque sit) vidi ad stuporem effossis in specubus manifesta aedium penetralia, fornices, cameras, et quae olim solebant, ad modum porticuum bipedalibus columellis fulta, vt ego quidem existimo, cinerum et urnarum conditoria. Idem testatus est, palatium, quod in oppido vicino suo Spital (alias Dornach dicto) incoletet sane in  
pau-

paucis magnificentum, columnis aliisque saxis e monumentis illo ex loco traductis extructum et exornatum magnam partem fuisse; seque haud ita pridem isthic deprehendisse extructionem ad formam delubri: eoque fossorum opera perlustrato, saxum grande cauatum; in quo omnis generis animalium cornua asseruabantur, fors, vt ipse suspicabatur, maētatis victimis eo coniecta. Eum lapidem Coenobitis Hieronymianis, quos ad castrum suum Ortenburg idem Princeps religiosissimus collocauerat, pro capedine lauatoria dono dedit.

Situs vrbs fuit in colle edito super Draui fluminis ripam septentrionalem, ad quam descensus erat subterraneus fornicatus, cuius in hunc diem supersunt monumenta. Est illic Ecclesia S. Petro dicata, cuius coemeterium cum paulo altius scrutarentur fossores, reperere paruum opere musiuo stratum cum nummis vetustis Patriarcharum Aquileiensem. Caeterum vniuersus loci ambitus hodie maiorem partem opertus est pratis et siluis, suntque, qui mira referant de spectris et lemuribus; de nocturnis praesertim terriculis locus est inter vicinos celebratus.

Quod autem ante dixeram, hanc Liburniam eandem esse cum Tiburnia, cuius est in vita

S. Seuerini Noricorum Apostoli et in subscripti-  
onibus Conciliorum Aquileiensium certa et ex-  
plorata memoria, ipsa primum vocis euidens ho-  
monymia probat: nisi fors dicas, locum eundem  
iam Teurniam iam Liguriam esse dictum, ex  
Tauriscis nimirum, qui iidem et Liguriscæ,  
Strabone teste, vocabantur: igitur Teurnia ex  
Tauriscis, Liguria ex Liguriscis, demum ex  
Liguria producta Liburnia: ex Teurnia Tibur-  
nia. Belle adeo cuncta in vnum congruunt. Quo  
accedit et situs Tiburniæ, qui discitur ex literis  
Ludouici Pii Augusti anno 817. editis pro Mo-  
nasterio Inticensi, quod Atto Scarantiensis Abbas,  
dein Frisingensis Episcopus condiderat. Conue-  
nit inter Eruditos, locum Inticha, vt ibi voca-  
tur, hodiernum Innichen in Tirolis esse ipsum ca-  
strum, quod in Itineratio tendentibus in Rhae-  
tiam post Loncium ponitur, Aguntus, cuius et  
Plinius inter oppida Norici, et Paulus Diaconus  
et alii veteres meminere: de eo Venantius For-  
tunatus in carmine (L. 2.c. 13.) de S. Martino:

Per Drauum itur iter, qua se castella supi-  
nant:

Hic montana sedens in colle superbit Agun-  
tus. Haud procul abest a fonte Draui. In eius  
confinio fuit regio seu plaga Tiburniensis. Haec  
omnia certa sunt ex instrumento praedicto Lu-

douici Imp. (instr. 479) quo dicitur: Attonem Frisingensem Episcopum construxisse cellulam, quae nuncupatur Inticha, in confinio videlicet Tyburniensi, vbi Draus fluuius oritur. Quam orationem sic habe, non quod Tiburnia sita fuerit ad ortum Draui (haud enim is opportunus erat metropoli Norici locus) sed Inticha: fines tamen territorii Tiburniensis haud inde procul abfuerint: id quod admodum ita se habere in agro Liburnensi hodieum agnoscitur.

Plinio fortasse succenseas, qui nobilem adeo Norici sedem in suo censu praeterierit? Id haudquaquam: etsi enim neque Liburniae, neque Tiburniae meminerit, quod haec vocabula forte serius inualuerunt; est tamen, quam inter caetera connumerat, oppidum Teurnia: haec procul dubio voce ipsa Tiburniam refert. Et erat Teurnia Ptolomaeo teste, quae versus Draui fontem accederet; hoc situ et Cluuerius et Cellarius agnouere, longe repudiato Lazio, qui Teurniam in oppido Radstatt Salisburgensis ditionis, inter montes nempe Tauricos quasi Tauricam collocauit. Minus autem e ratione conieciarunt ii, qui Teurniam statuerunt Villaci; Tiburniam apud oppidum S. Viti.

Tiburniam appellaui Norici metropolim: Sic Eugippius, qui S. Seuerini Abbatis discipulus

lus eiusdem vitam conscripsit, probatus certe scriptor, qui cum prope Noricum Ripense, Monasterio Fauianensi degeret seculo quinto, resque Norici mediterranei propter assiduum, qui ad Sanctum Abbatem inde fiebant, accursum, probe perspectas haberet, testis est omni maior exceptione. Iamque olim fuisse ciuitatem haud vulgarem, probat inscriptio lapidis apud Gruterum P. 473.

L. Terentio vero

II. viro Teurn.

Pr. iur. dic.

Magistratus certe Duumvirum nonnisi in Coloniis aut Municipiis eminentibus fuit. Erat igitur vrbs Norici primaria Tiburnia seculo quinto; quid antea, non satis liquet. Erat Celeia, tot monumentis et inscriptionibus illustris: erat Flauium Soluense, quam nostra memoria multis erutis antiquitatis reliquiis, nummis, figuris, faxis literatis clariorem reddidit Ioannes Dominicus Prunerus. Sed hae forsan excisae iam erant vrbes per barbaros; cum inda Tiburnia metropolis dignitatem obtinuit.

Flauium Soluense, quod Plinius vltimo loco recenset, et initium et situm habet indubitatum. Flauium appellabatur a gente Flauia, cuius erat Vespasianus. C. Fluius Sabinus Vespasiani fra-

f

ter,

ter, aut Sextilius Felix, qui seu Praefecturam  
seu Magistratum militiae gessit in Norico contra  
partes Vitellianas, aut quis alius auspiciam vr-  
bi dedit, eamque nomini Flauio dedicauit. In-  
scriptio vetus Flau. Sabino, quem dixi suffraga-  
tur apud Reinesium pag. 559. n. 5.

D. M.

C. Sabinio Col. Fl. Solua.

Passim autem in vetustis eiusmodi scripturis, qua-  
rum vis magna visitur apud eiusmodi memori-  
arum collectores, legitur Flauia Solua, quo ne  
videlicet suspicio subesse queat, locos esse di-  
stinctos Flauium et Soluense; quemadmodum La-  
zarius existimauit, qui Flauium ad Vallem Lauan-  
tinam transposuit, tanquam Lauiam a Flauia.  
Soluense autem statuit illam ipsam coloniam, qua  
de nunc loquitur, in campo Solfeld, vt hodie  
vocatur, olim fundatam; e qua et aedes illic  
in colle per B. Modestum extructa nomen defe-  
rat B. Mariae in Solio. Recte hoc ille; sed il-  
lud gratis, quod Flauium a Soluensi seiunxerit.  
Et illi alii non recte, qui hic Liburniam Episco-  
pi sedem statuerunt: Liburnia quae et vbi gen-  
tium extiterit, paulo iam ante declaratum est.

Sane quam plures Vespasiano et Tito re-  
rum potentibus emerere coloniae sub appella-  
tione Flauii vel Flauiae, quarum haud pauciores

de-

decem enumerant Geographi; plures item Soluae: discrimen huius ab aliis compositione fiebat: nulla enim praeter hanc Flauia Solua. Quid autem, an a templo Solis, an a soluendis vectigalibus, aut vnde tandem hoc sit nomen sortita, suo loco sit. Laudatus supra Prunerus inscriptionem producit lapidis isthic effossi, qui hodie in castro vicino Töltschach propter ianuam exteriorem visitur. Ea de templo Solis id loci per quosdam instaurato testimonium praebet.

Pro. Salute. Aug. in Honorem. DD. Soli. Inuieto. Mythr.  
Hilarus. Aug. Lib. Tab. PR.N.  
Et Epicetus. Ark. Aug. N. Tem.  
vetustate. conl. sumptu. suo. cum.  
pictura. refe. Imp. D. N. Gordiano. Aug. et Auiola C. Rom.  
D. N. Licin. Marcello. Pat. D.  
VIII. K. Iulias.

Quae in hanc sententiam videntur legenda: Pro salute Augusti in honorem Deorum, Soli inuieto Mythrae, Hilarus Augusti libertus, Tabularius Prouinciae Norici, et Epicetus Arkarius Augusti nostri, templum vetustate conlapsum sumtu suo cum pictura refecerunt, Imperante Domino nostro Gordiano Augusto et Auiola Consule Romano, Duce Norici Licinio Marcello Patritio die VIII. K. Iulias.

-102 Haec ad annum Erae nostrae CCXXXIX.  
pertinent, quo ipso Marcus Antonius Gordianus  
Aug. et M. Acilius Aniola Consules prodierunt.  
De Duce Norici Licinio Marcello nulla alias men-  
tio. Sic autem legendum esse suadet scribenti-  
um cura, qua voluerunt epocham refecti templi  
memoria principum, de quibus Noricorum inter-  
erat, consignare. Neque vero literae D. N. expo-  
ni hic debent pro DOMINO NOSTRO: hic enim  
titulus nisi Caesaribus deferri non solebat; neque  
alia congruentior se offert interpretatio, quam  
pro DVCE NORICI. Quod si ita sit, sane prae-  
clarum hoc erit documentum, tum adhuc tem-  
poris, Gordiano Imperante Norico vniuerso Prae-  
fidem vnicum, nomine et dignitate Ducis prae-  
fuisse. Solenne autem fuit nuncupare templa  
Soli inuicto Mythrae, more e Persis desumpto,  
qui Solem Mythram vocabant, perinde vt Emif-  
feni Alagabalum, Palmyreni Malachbelum. Neque  
alium Deum coluere Illyrii et Pannonnes, quam So-  
lem, quem Belenum vocabant. Hunc vitam ani-  
mantibus et plantis impertiri credebant. Hunc et  
Plinius, (L. I I. c. 6.) cum de aliis ambigeret, Deum  
agnouit. Effigiem ei dabant Apollinis cum ca-  
pite radiato; vel iuuenis genu super boue strato  
nitentis, et vtrumque cornu iniecta manu reflec-  
tentis. Colebatur delubris absque tecto. Sa-  
cri-



crificia Mythriaca humanis victimis fiebant; qui tamen mos ab Hadriano sublatus est. Et haec ita ferente re.

Porro spatium et aream huius templi se Prunerus idem detexisse putat infra castrum ante dictum Töltschach, utroque viae isthaec ferentis latere, ubi tellus congerie ruderum in multos aggesta tumulos. Ibi loco defosso sub arbore tilia deprehendisse stratum Mosaici operis: inde ad laeuam agrum esse, qui traditione maiorum ager templi vocetur: in quo haud ita pridem, inquit, sepulcra gentilium, idola metallo fusa et id genus rarioris notae sunt eruta. Caeterum et in collibus circumfritis, et in plano passim obseruari murorum fundamenta, cauernas fornicum: vrceos inueniri testaceos, lampades vitreas, armorum fragmina. His atque talibus plenam esse regionem illam omnem a vico Arndorf ad locum vsque, quem foueam draconis appellant, perque ipsum nemusculum in medio situm. Ad haec si ex edito spectes, in campo ad oculos apparere vicos aedificiorum veterum ad lineam ductos, quippe notato in ipsis frugibus, quae modo desuper conferuntur, discrimine, quod eae, quae super maceriis existunt, ieiunae sunt admodum: id omne glebae esse rudere caementitio lateritioque oppletum; numo-

rum autem veterum ex aere, auro, argento  
cusorum magnam vim et ab se repertam, et ab  
agricolis reperiri perfaepe; se de eiusmodi iam  
bis mille amplius, praeter idolorum simulacra  
at alia mira collegisse. Et haec ad annum iam  
1691. solers ille rerumque talium cupidissimus  
habebat in cimelio suo; longe amplius autem  
deinceps conquiserat, vt erat impiger, et fe-  
re dies festos hac oberratione terere solitus. Me-  
mini apud ipsum videre portionem bene magnam  
equi aerei, caput item aereum, quod Sextilii  
Felicis monimentum esse dicebat. Thesaurum  
egregium fata dispersere, parte tamen, vt au-  
dieram, in cimelion Caesareum illata; in quo  
cumprimis gladius Romanus non fabricatus fer-  
ro aut chalybe sed aere fusus in pretio habi-  
tus est.

E vero dicendum est, situm eius vrbis  
fuisse peramaenum, ac propter colles adritos mu-  
nimentis etiam opportunum. Idem certe testatur  
se in cliuo Töltfchachensi et Meißelbergensi, et in  
colliculo petroso, hodie Grazkogel, propugna-  
cula, fossas, meatus etiam subterraneos, prae-  
terea varia victoriae et triumphorum simulacra  
marmoribus candidis insculpta, praeter inscrip-  
tionum bene magnum numerum, quas exhibet  
in opusculo suo, vidisse probeque iustrasse. Por-

ro autem, an hic sedes fuerit prouinciae Ducis, an militum magistri, quod ipse autumat, statuere pro certo non habeo. Praerogatiuam tamen veterem loci per manus traditam agnouere posterius, qui haud inde procul in colle vici Karnburg mensam Saxeam inaugurandis Ducibus erexerunt, ac subtus in ipso campo Soluensi fedile pariter saxeam, in quo velut in folio positus Dux prima caperet principatus auspicia, eumque ritum ibi peragi voluerunt.

Ex ruderibus vrbis erecta conspicitur in colle vicino Basilica Deiparae sacra, vbi sedem quondam floruisse episcopalem passim cantatur: de quo quid rei sit, in loco dicetur. Cacterum vix est in eo confinio locus, arx, castrum, aedes sacra, in quo non aliquid ostentetur monumenti Romani ex agro foliensi. Famigeratum illud, et libris formisque cupreis iam saepius excusum, quod anno 1502. colonus ditionis Salisb. hic locorum aratro detexit. Statua viri est aerea pedes 9 alta, super discum insistens. Iuxta crus dextrum stat arreeta patina ad formam pilei cum sua circa limbum inscriptione: manu sinistra securim terrae insistentem continet. Varii varia diuinarunt, quibus non vacat immorari. Pretiosum hoc antiquitatis Romanae in Norico monumentum Matthaeus Cardinalis idem Archiepiscopus Sa-

lisburgensis ad metropolitanam suam deferri curavit.

Et haec de Flauio Soluensi, de cuius veteri maiestate situque satis superque documentorum est. Nomen apud posteros paulisper immutatum, ut iam Salam iam Solium vocarent: Alii sequioris aevi scriptores Gradusolium: quod tamen semiuindicum est; Grad enim seu Hrad vindis castrum appellatur; vti Germanis Burg, ut adeo Gradusolium non aliud sit, quam castrum Soliense, quod olim forte cum extaret in colle Grazkogel, aut isthic alicubi, sic a Vindis appellatum est. Nam in ipso cliui Soliensis apice in hunc diem fossae cernuntur, indicio castrum, quo nomine et hodie vulgo vocatur das Heidnisch Schloß. Sed non excidere debet, quod idem testatur, memoratu dignum; quod itidem inter macerias Tiburniae vidi, passim et in fundo Soluensi retegí cellas depressoas fornicatas, cum statuminibus lateritiis, praeterea spiraculis quibusdam per canales coctos, quandoque plumbeos ductis: quod ad usum balneorum veteribus illis solennium ipse refert.

Flauio Soluensi dignitate par, certe Romanis monumentis maxime celebrata erat Celeia, quam fuisse aliquando Praesidi Norici mediterranei sedem probat lapis illic apud Monasterium

Fra-

Fratrum Minorum, teste Lazio, proflans, suo loco producendus. Probat et Martyrium S. Maximiliani: quod indicat ibi fuisse tribunal et praetorium, vbi quaestiones eiusmodi decernebantur: quae et causa fuit, Quirinum Ep. ex vrbe Siscia Sabariam vsque, locum Pannoniae principem, deducendi, vt ibi sententiam acciperet: quemadmodum dicitur in eius Actis. An coloniae Romanae dignitate floruerit, dubitatur. Laudatus ante Lazius duos profert lapides, in quorum vtroque sic legitur incisum: T. Claudius Municipii Celeiae. In altero: Ti. Claudius Municipii Celeiani. Videtur tamen habuisse praenomen Claudiae, scriptura veteri apud eundem: Dec. Cl. Cel. Terentiu. Quod sic interpretari licet: Decurio Claudiae Celeiae Terentius.

Aliud e Claudio municipium est Claudium seu Claudia, quam inter caetera Norici numerat Plinius; Ptolomaens Claudiuium vocat, ceu Claudii via. Hanc Megiserus duce Lazio et Harduinus his insistens pro Clagenfurto hodierna Carinthiae metropoli interpretantur. Cluuerius supra lacum collocat Chiemensem; quod et Cellario probatur. Ptolomeus Claudiuium suum in ripa Danubii posuit. Horum sententiae quo minus subscribam, illud mouet, quod et lacus Chimensis et quidquid apud ripam Da-

nubii fuerat oppidorum, pertinuerit olim ad Noricum Ripense; utique cum et Iuuauia eodem pertinuerit: atqui Plinius, ut manifestum est, in recensione sua nonnisi oppida Norici Mediterranei est exequutus: in his ergo cum et Claudiam putauerit, isthic erit haud dubie quaerenda:

Clagenfurto si tribuas, haud moror; sed illud abnuo probe fieri, ut ex Claudio Claudiforum, et hinc Clagenfurtum exsculpas. Huic torno nimium quantum officit ipsa vox Clagenfurtum, quam ipsam hac plane forma scriptam iam ad saeculum duodecimum in tabulis inuenio. Vix poterat ea iam tempestate antiquum Claudiforum adeo excidere de memoria, et uocula *Furt*, quae vadum seu traiectum fluminis significabat antiquis, sane quam e vero conuenit huic urbi, ut prorsus e ratione, minimeque per abusum pronunciandi huic oppido adaptata uideatur, nec nisi gratis et arbitrario posse eius loco *forum* substitui. Traiectus est in vicino per Glanam fluum, ex quo quid ad rem et situm magis, quam oppidum vicinum appellari Glanfurtum? Quid autem affinius, quam ex Glanfurto sensim ore vulgi nasci Clagenfurtum. Et hoc de uoce, cuius adeo originationem haudquaquam ex Claudiforo peti posse manifestum est admodum.

Sed

Sed hoc etiam comperto nihil vetat hic loci Claudiam Plinianam coniecere: danda tamen erit coniecturae ratio: quam ego quidem haud video, locum fuisse quondam frequentatum incolis, opportunitas regionis, ad haec commatus hac parte ad Carnos et Iapodes trans montem Loibl, vt hodie vocatur, habitantes necessarius vtcunque probat. Quo autem nomine fuerit Romanorum aetate vocitatus, an vnum aliquod ex Plinianorum oppidorum, aut aliis a Ptolomaeo vel Tabula Theodosiana productis nominibus in eum conueniat, mysterium est relegandum ad Oedipum. Certe cum ita fere fiat, vt grandes, vbi sunt, vrbes loca vicina quodammodo absorbeant, atque vna non amplius abhinc Ieuca tum insigniter floruerit vrbs Flauia Solua; neque existimandum facile sit, adeo stipatas inter se fuisse id temporis hac in Patria ciuitates; res ipsa fortasse suadet, haud adeo magni nominis tum adhuc locum istum fuisse, vt esset, vnde a Plinio vel caeteris celebraretur.

Sed haec ita lucubrantibus venit in mentem statucae cuiusdam in Suburbanis Clagenfurtensibus, qua ad locum fert via, paucis abhinc annis effossae, de qua germanus meus Reginaldus Ord. S. Franc. (cui requiem sempiternam!) oertiozem me fecit. Dum humus egeritur ster-

nen-

nendis fundamentis, deprehensa statua muliebris  
nouem admodum pedes alta cum figuris infanti-  
um. Ad basim haec inscriptio :

Fuscae. Aiac.

Lib. Restitutus.

V. F. et. sibi.

Tacito. E. anno. XX.

Et. Sextae. Fil. an. XXII.

Nihil insigne quidem scriptura prodit : hoc ta-  
men ; non defuisse hic etiam locorum Romanos  
cultores, eosque nobilioris ordinis : quorum  
monimenta complura etiamnum terra obruta de-  
litescere, dubitandum non est. Ager ad grati-  
am aequae ac frugem factus inuitare poterat. Sed  
exequamur reliqua.

Praecipuae inter oppida notae Plinio fuere  
illa, quae primo loco nominat, Virunum, Ce-  
leia, Teurnia : Satis apertum est, dignitatis isto-  
rum prae caeteris habuisse rationem. Quod enim  
Flauium Soluense coniecerit ad calcem, haud  
mirum ; propterea quod hoc Vespasiani, proin-  
de Plinii aetate vix ortum, in primis tum adhuc  
esset incunabilis ; nondum adeo clara, vt post-  
modum, fama. Virunum vero et reliquae tum  
iam fuerint adultae. Ludicrum proditur initi-  
um oppidi Viruni ; quod quidem non putarem  
esse tanti vt afferrem in medium ; nisi ex ipso,  
qui



qui id refert, auctore loci antiquitas, partimque etiam fama et claritas argueretur.

Est inter Graecos oppido clarus vetusque scriptor Suidas, cui subuenit, ut de Viruno hanc proderet fabellam. Norici gens est, inquit, ubi sus, poena a DEO missa, regionem eorum deuastabat; et in plano campo Norici omnes tentantes eam expellere, nihil profecerunt; donec vnus quidam vir porcum humeris sublatum detulit (ut de apro Calydonio fabulis proditum est) et quoniam Norici ipsum virum vnum propria eorum voce dixerunt, ciuitas ita Virunium nominata est. Haec Suidas; quae penes ipsum sint. Hoc noto, e Suidae sententia propriam Virunensium linguam fuisse Latinam, e qua scilicet nomen vrbi Latinum adinuenerint. Satius forte ex porco nomen mutuasset: *Berenim* Graecis est, quod nos vulgo *Bär* porcum marem vocamus, ut recte obseruat Irenicus. (Exegef. L. l. c. 22.) At siquidem Virunum colonia Romana fuit, ut multis videtur, lingua utique latina fuit illorum, qui Virunum condidere propria. Coloniam autem fuisse, dum inscriptio vetus apud Gruterum legitima sit, (p. 569 n. 7.) non est, cur ambigamus. Sic autem habet: Not. Noricus Col. C. Viruno. Recusat inscriptioni fidem adhibere plenam Cellarius, eo quod

quod Syllaba Col. vocalem referat minutam, quasi Gruterus ipse absentem suppleuerit. Sed huic nempe dubio nonnisi inspecto ipso lapide medendum foret. Quod autem litera C. Viruno praeponitur, Claudium urbis auctorem videtur signare. Non omittendum vetus Reipublicae Virunensis monumentum. Lapis est ingens et oblongus in Coenobio Viëtringensi, quem ex agris Soluenfibus asportatum traditio tenet :

L. TVCCIVS

L. F. POL.

CAMPANVS

HARVSPEX ET

SOLOMIA P. FIL

SABINA

OB MERITVM REI

PVBLIC. VIRVNENS.

DEDERVNT.

De situ Viruni non eadem sententia: Cellarius ad Drauum amnem constituit, Cluverius id refert ad oppidum Völkmarkt. Hos miror: certe consecrantibus Itinerarium Antonini Virunum longe a Drauo quaerendum est: ecquis enim e via Vellacensi seu Villacensi Lauriacum iter instituens Volkmarktum diuertat? Est igitur e ratione, Virunum collocare Frisaci, quem locum alioqui vetera monumenta nobilitant. Sed  
quo-

quoniam et situs agri quo Völkmarktum oppidum visitur, et via regia isthac ducens in ortum, opportunitas item fluuii, qui locum alluit, traiectusque in vallem oppositam, quam Iunensem appellant, atque inde per fauces montium Capellensium in Iapidiam veterem, satis arguit, id quod posteris vsuuenit, vt ibi oppidum haberent, etiam maioribus placuisse, quippe cum procul dubio et isti locorum ingenia in condens oppidis sint secuti; prudenter cogitatu est, Romanorum etiam aetate isthic loci tale aliquod extitisse. Quantum ex Tabula Theodosiana discitur, absuit a Viruno in Austrum XXIII. millibus passuum, id est sex fere leucis germanicis oppidum Iuenna, quod apud Plinium corrupte legitur Vianna: vbi cum et situs Austrinus et intervallum sex leucarum a Frifaco ad Volkmarkt satis huic apte respondeat, vix est, vt alibi Iuennam illam veterem statuamus; nisi forte Cluuerius praepolleat, qui nonnulla vocis affinitate ductus Iuennam esse putat oppidi quidpiam in Valle Iunensi. Sed nempe versamur in tenebris, et quod Catoni in originibus inquirendis euenit, necesse est per saepe falli, in multis per meras ire coniecturas.

Tale est de Aemonia, quae vna superat de oppidis Norici a Plinio recensitis. Idemmet

Pli-

Plinius l. 3. c. 25. Aemonam in Pannonia collocat: In Pannonia, inquit, coloniae Aemona, Siscia: vt adeo vel geminare necesse sit Aemonam, vel haerere in medio. Qui hodiernum Labacum interpretantur, rem videntur acu tetigisse: sed ista quidem Aemona non Noricorum sed Pannonum est: sub Norico ponitur a Ptolomaeo, id est in confinio Norici. Herodianus in Maximino pro Emona ponit Emam, reprehensus idcirco a Geographis. Sed mihi ea res suspicionem mouet, an non Emona deriuatum ab Ema sit, Haemona ab Haema, verbo Celtico pro eo, quod nos Heim dicimus. Sic Boiohaemum idem quod nos Boioheim, id est domicilium seu sedes Boiorum; et Bergomum Italiae Gallorum veterum Bergheim: vt adeo nihil vetet, in Noricis oppidum huius nominis ex re sumptum floruisse. Id ab alpibus Carnicis longe inter montana situm nonnulli voluere. Scio et Hemoniam in Graecia: sed haec ipsa fortasse Gallorum veterum colonia est. Ita lubet Andabatarum more cum vetustate luctari. Eo demum receptus est, vt id reponamus inter ignota, quemadmodum et Vacorium et Grauiacum et Salocum et Colationem et Vpellas et alia, quae definire est aleam in incertum iacere, et operam ludere.

Facilius est de Iulio Carnico, quod quia magni fit a nonnullis et Villaci quaeritur, excidere non debet; vti nec Loncium, olim itidem in Norico. Memini nuper dicere de via, quam Iulius Caesar in Pyruftas ducturus per alpes excidi curavit. Quae via quondam frequentata specimen habet in Itinerario, quod alias laudauimus, Antonini. Ab Aquileia ad Aguntum, qui postremus erat Norici locus, ad fines Rhaetiae sic via ferebat.

Ab Aquileia

Mansio I.

Ad Tricesimum millia passuum XXX.

Mansio II.

Iulium Carnicum mil. pas. XXX.

Mansio III.

Loncium m. p. XXII.

Mansio IV.

Aguntum m. p. XVIII.

Hic sane longe diuersus est itineris ordo ab illo, quem nuper ab Aquileia Laureacum ducentem exposui, tantum ab altero differens, quantum laeua differt a dextra. Loncium hodieque nomine se prodit suo, vulgo Luënz; Aguntus castrum fuit XVIII. millibus passuum, id est quatuor fere leucis germanicis ultra Loncium situs, quod Geographi passim cum hodiernis

no Innichen componunt. Huc igitur ibatur per Tricesimum et Iulium Carnicum. Tricesimum locus est hodie cognitus inter Vtinum et Glemnam: de Iulio Carnico quid dubii? diuersum certe erat a via Beloio, longeque diuersius ab oppido Villaco, in quo illud multi scriptorum collocarunt. Inter Italiam et Noricum est Iulium Carnicum, inquit Ptolomaeus l. 2. c. 14. Erat itaque ceu terminus Italiae et Norici, proinde intra alpes Carnicas seu Noricas situm, linea versus Loncium directa: vbi gnari locorum facile diuinabunt transitum illum alpium, qua proximum est iter ad Loncium. Ibi mons nominatus a cruce, vulgo Creuzberg (qui ipse terminus est ea parte inter Italiam et Carinthiam) per eum tenditur versus locum Tischlwang ad rupem vsque praegrandem impendentem viae, cui Iulii Caesaris, vt alias diximus, monimentum erat insculptum, vetustate et iniuria coeliam exesum. Compertum est, illam fuisse viam olim vehiculis et plaustris frequentatam, quorum euidentia supersunt vestigia; hodie clitellariis tantum cognita. Illac in vallem Iuliam transcenditur intervallo minime longo ab Drauo et Loncio. Hanc ipsam viam delineat Paulus Diaconus (L. 2. c. 13.) in profectioe Fortunati properantis e Foroio Iulio ad Augustam Vindelicam:

cam: Per Tilamentum fluuium, Reuniam, per  
Ofopum et alpem Iuliam, perque Aguntum ca-  
strum. Et ipse Fortunatus: Per Drauum itur  
iter, qua se castella supinant; Hic montana se-  
dens in colle superbit Aguntus.

Est itaque situs Iulii Carnici, satis ex dictis  
perspectus, in Carinthia superiori intra alpes,  
quas Paulus modo laudatus Iulias vocat, haud  
procul ab oppido Mauten apud amnem Iulium,  
vulgo Geilam posito: noti sunt etiam Iulienses,  
quos Plinius inter Carnos reputat; iidem haud  
dubie, qui ad Iulium fluuium accubant in valle  
cognomine, vulgo Geilthaler, hodie Sclauica  
natio, nomen tamen a valle retinens.

Aguntus illa montana sacrum opus memo-  
rat Claudii Restituti, qui seu templum seu quid  
aliud extructionis Ioui dedicauit. Inscriptio  
talis est.

I. O. M.

D. D. C. CLAVDIVS. RESTITVTVS.

RESTITVTIANVS. GREGEI. IVLIA.

HONORATA. CONIVNX. EIVS.

V. S. L. L. M.

Id est: Votum soluerunt lubentes merito.  
Monstruosum illud GREGEI fors haud absurde  
sic interpretere, mutata G. litera in Q. Quae-  
stor Rhetiae et Germaniae et Iusta Iulia.

De Claudio Restituto Megiferus (l. 3. c. 34)  
perhibet, eius monimentum extare apud Iulium  
Carnicum (quod ipsi Villacum est) in quo lega-  
tur: ipsum Boiis, Austriacis, Stiris et Carin-  
this pro Praeside praefuisse; lapidem ait esse vel  
inscriptionem sepulchralem, quae hoc testetur.  
Detur hoc extare: at scripturam, quae Austria-  
corum, Stirorum meminit, ecquis non videat  
nuper esse natam? Quo satis intelligas, quan-  
tae demum fidei sit ille, quem assidue vocat in-  
testem, Catalogus Ducum seu Praesidum Nori-  
corum. Alium mihi Claudium Norici Mediter-  
ranei Praesidem offert inscriptio reperta in castro  
Stiriae Leibnizensi, cuius initium defectuosum  
apud Lazium ex alio saxi fragmento, quod apud  
eundem est, et huc omnimodis pertinere vide-  
tur, suppleri potest.

DIVO. CO. POS.

M. CLAUDIVS. V. P. P. P.

N. M. T. D. N. M. QVE.

EIVS. SEMPER.

Quam sic exponere licebit: Diuo Constantino,  
vel Constanti, vel Constantio posuit M. Claudius  
vir Praetorius, vel Vrbi Praefectus, Praeses Pro-  
vinciae Norici Mediterranei, Tribunus, vel ter  
deuotus Numini maiestatique eius semper.



In agro illo Leibnizensi, vbi lapis hic erutus esse creditur, vestigia sunt haud obscura ciuitatis antiquae: fere conuenit, fuisse Muröelani ad ripam, vt ipsum fert nomen, Muri fluminis. Ad Noricum an Pannoniam attinuerit, in lite est. Haec inscriptio quantum pro Norico suffragetur, alii viderint. Marmor illud si in rupe illo sit erutum, si non aliunde isthuc allatum; validum certe foret argumentum pro Norico. Quid quod sinus ille regionis inter ambientes haud procul montes eximendus e Norico non videtur, hoc adeo, quod cum ita longe versus ortum excurrat Celeia Norici oppidum; item Petouio, quam ipsam quoque graues auctores Noricis adscripsere, haud videatur dispositio situs pati, vt quae multis millibus ad occasum recesserit Muröela, e Norico extrahatur.

Petouium seu Petouionem, quam modo nominavi, celebre quondam municipium, aut quod aliqui volunt, coloniam, vbi et palatium Imperatoris erat, Ammianus Marcellinus, qui aeuo Constantii et Iuliani Imperatorum floruit, discrete vocat oppidum Noricorum, stilo fortasse recentiore per Constantinum magnum inducto: quo quidem discrimine conciliari geographi possunt. Vrbs ista vt ad nos vsque nomen retinuit, ita situs eius obscurus est nemini. Ea praebet oc-

caſionem, vt itinerarium, quod Aquileia Petouionem ducebat, adferamus, eoque ſeriem quorundam locorum ad Noricum ſubinde pertinentium habeamus perſpectam. Sic autem fiebat iter: Ab Aquileia ad Aquam frigidam, Longaticum, Haemonam, Adrantem, Celeiam, Raſgandonem, Petouionem: id eſt hodierno modo: Vipacum, Logatez, Labacum, ad iugum montis, quem corrupte Troianerberg, rectius Adrantenberg, appellant, inde Celeiam, Roytz, Petouium.

Atque hic ſiſtimus diſſertationem de oppidis Norici mediterranei. Perſequenda nunc eſſent rudera quibusdam in locis apparentia, incertum quorumnam, aut quemadmodum olim appellatorum oppidorum. Refert Megiſerus in agro Pleiburgenſi prope vicum Loypach ſpeciem vrbiſ antiquae ex maceriis aliisque reliquis haud dubitanter offerri. Praeterea narrat laudatus alius Prunnerus, in monte, quem ab S. Helena et Magdalena, cui ſacra aedes in cacumine ſita nuncupata eſt, manifeſta ſuperſeſſe munimenti Romani veſtigia; ea multo clariffima apparere ab tergo montis, ortum ſolis reſpiciente; ad ipſam crepidinem turres extiſſe et ſuggeſtus caſtrenſes, alium ex alio per quartam horae partem munitione producta; numos etiam permul-

tos effodi, plerosque Iulii Caes. Augusti et Tiberii formis insignes; aliud item monetae genus, quod ob modum insuetum ipsa Iulii Caesaris monarchia vetustius videatur; eiusmodi ingentem cumulum haud ita dudum ab aedituo iuxta ipsam Ecclesiam egestum esse; vrceos etiam reperiri praegrandes, recondendis olim crematorum cineribus adhibitos; nonnullos tales in manum sibi venisse. Haec ipse. Sed amplioris id foret et temporis et operae scrutari per totum veterum locorum rudera, quam praesentis operis confilium patiatur. Igitur ad ea me confero, quae series inde rerum in Norico maxime mediterraneo.

Sub excessum Augusti, qui anno Erae nostrae quarto decimo, die 19. Augusti contigit, legiones decem cum septuaginta cohortibus et aliquot voluntariorum millibus tutabantur Illyricum; quorum hiberna apud Sisciam, aestiua apud Nauportum. Turbatum in castris: mutatus princeps licentiam prouocabat: direptum Nauportum, quod municipii instar erat, cum proximis vicis: praecipua in praefectum castrorum Aufidienum Rufum ira: periculum ipsi Legato Pannoniae Iunio Blaeso. Sed missus a Tiberio Drusus filius cladem, quae iam Noricos attigerat, auertit, tumultu sedato.

bus quoque exteris metus decesserat: Germanis inter sese digladiantibus, quies a Marcomannis fuit. Qui maxime sollicitos habebat Romanos, Maroboduus regno ab suis pulsus. Eadem barbarorum inter se diffidia sub Claudio quoque Imperatore securum limitem praestitere. Illud parum consulto Claudius fecit, quod Vannium Quadorum regem potestate ab Iubillio Hermunduro deiectum cum parte gentis profugum secuta in Pannoniam recepit, magnum futurorum bellorum fomentum.

Caeterum Claudius fuit, cuius auspiciis non in Pannonia modo Sabaria colonia surrexit, sed et in Noricis Celeia atque Virunum, clarae dehinc vrbes, Claudii nomine consecratae; praeter Claudiam, quam in caeteris Noricorum oppidis Plinius memorat. Licebat pace his in provinciis firmata ad earum cultum intendere.

Nec sub Nerone quidquam nouatum, nouis etiam legionibus eo traductis, praesidium ad limitem agitante Galba, qui exinde Hispaniis praefuit, ac post Neronem salutatus Imperator et ipse, et qui eum perdiderat Otho breue et tumultuarium exitio suo imperium absoluerunt. Vitellius ab Rheno aduersus Othonem mouit. Legatus eius Caecina cum per Rhaetias tenderet, in alpe Graia, vt narrat Tacitus, ipse

pau-

paululum cunctatus, num Rhaeticis iugis in Noricum flesteret aduersus Petronium vrbis procuratorem, qui concitis auxiliis et interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur. Sed metu ne amitteret praemissas iam cohortes, aliasque simul, et reputans, plus gloriae retenta Italia, et vbicunque certatum foret, Noricos in caeterae victoriae praemia cessuros, Pennino itinere subflignanum militem et graue legionum agmen, hibernis adhuc alpibus traduxit. Petronius, quod hinc manifestum est, ea tempestate Noricis praesidebat, Othonianarum partium: quo pronius post Othonis interitum et Noricum et Pannoniae legiones ad Vespasianum accessere. Titus Ampius Flauianus non Carnis aut Noricis, vt quidam volunt, sed Pannoniae praesidebat. Petouione, vbi legio tertia decima hyemabat, Flauianarum partium Duces conueniunt; deliberatione de ratione belli instituta placuit, contra Portium Septimium, qui Procurator erut Rhaetiae, incorruptae erga Vitellium fidei, mitti Sextilium Felicem cum ala Auriaria et octo cohortibus ac Noricorum iuuentute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Rhaetos Noricosque interfluit. Occupata et Aquileiae proxima laetum auspicium belli contra Vitellianos dedere: qui mox acie fracti; deditus

exitio Vitellius; initiatum Flavio nomini apud Noricos Flauium Soluense; datae Flavio Sabino Imperatoris fratri inferiae per monimentum, cuius inscriptionem alibi dedimus: is Romae, dum adhuc pro Vitellio pugnabatur, furore partium caesus. Caeterum haec disertius narrante Tacito, claret Noricorum iuuentutem sub signis Romanis militasse, quae subinde in legionem conflata, sub nomine legionis primae Noricorum in dispositione limitum celebrata fuit.

Gesta sunt haec anno Erae sacrae nono et Sexagesimo, quem apud Noricos tempora exceperere pacata; Marcomannis et Quadis sub Sidone et Italico regibus, ut Vespasianum strenue adiuuerant, ita perstantibus etiam deinceps in fide. Sub Domitiano Noricum perstrepebat apparatu belli. Daci limitem Istri fluminis perreperant, multis ciuitatibus captis et Romano exercitu cum Legato Oppio Sabino deleto. Deinde et Cornelius Fuscus cum legionibus praetorianis interiit. Haec ad annos Erae Christianae octogesimum quartum et septum contigere. Demum nono et octogesimo Domitianus ipse in hostes mouit, rediitque inde magna militum parte turpiter amissa, ut Dio scribit. (l. 67.) Sed bellum subinde Dacicum anno primo supra centesimum feliciter gessit Traianus, Decebalus

re-

rege caeso , Daciaque in prouinciam redacta ,  
anno Erae Sacrae octauo supra centesimum.

Leuatis eo metu Noricis , per reliquum  
Traiani imperium , quod ad annum centesimum  
decimum Septimum, diem Augusti decimum pro-  
duxit ; et exinde sub Hadriano , qui ad annum  
vsque centesimum trigesimum octauum, diem 12.  
Iulii habenas tenuit , otium ab hostibus perpe-  
tim fuit : quin ornatum sub Aelio Hadriano No-  
ricum noua ad fauces montium colonia nuncu-  
patione Aeliae Hadrianae Iuuauiae , quo loco  
dein erecta splendida metropolis Salisburgum.

Marcomannos et Quados , qui vni maxi-  
me Noricis formidandi erant , Hadrianus , Spar-  
tiano teste , in amicitia continuerat , regemque  
eis dederat . Qui posthac etiam sub Antonino  
Pio in officio mansere , adeo , vt , quod scribit  
Eutropius , barbarorum plurimae nationes , qui-  
bus venerabilis non minus erat , quam terribilis,  
depositis armis , ad eum controuersias suas lites-  
que deferrent , sententiaeque eius parerent ;  
prouincialibus etiam eo bonus , quod praeter  
clementiam , ob quam Pius cognominatus est ,  
iustissimos quaereret reipublicae administros.

Sub Marco Aurelio , qui Pio ad annum  
161. successerat , multa perpeffi Norici et a pe-  
stilentia , quae ab anno 166. per annos aliquot

graffata multos mortales extinxit; et a fame et ab hostibus. Gentes omnes ab Illyrici limite vsque in Galliam conspirauerant, Marcomanni, Quadi, Narifci, Hermunduri, Sueui, Sarmatae, Daci, Latringes, Buri: hi aliique cum Victobalis Sofibes, Sicobates, Roxolani, Bastarnae, Halani, Peucini, Caseoboci. Hoc illud bellum Marcomannicum, quantum nulla vquam memoria fuit vt Iulius Capitolinus scribit: cuius tantus erat timor, vt Imperator diuina et humana omnia procuranda fusciperet, Sacerdotibus vndecunque accitis peregrinos etiam ritus compleret, Romam omni caeremoniarum genere lustraret: auctiorem ad haec ornamentorum Imperialium ac suppellectilis domesticae faceret, gladiatores et latrones et seruos auctoraret militiae. Et vero malum adeo ingruebat, vt Pannonia ac Norico peruaftato in Italiam vsque penetrarent hostes, maximisque, vt Dio narrat, (l. 71.) et grauissimis incommodis Romanos afficerent. Stitit quidem eluuiem Imperator anno 169. Aquileiam profectus paludatus cum Collega Lucio vero, quo audito regum hostilium plerique cum suis populis receptui cecinerent, interemtis etiam tumultus auctoribus. Quadi fidem amplius probaturi negarunt recepturos regem (nam suum amiserant) nisi quem Imperatores probassent.



Inde Imperatores transscensis alpibus longius processere, quaeque ad munimen Italiae atque Illyrici pertinerent, composuerunt omnia. Strenuam in hoc bello operam Seuerus Pertinax, qui Pannoniae praerat, Legatusque primae legioni praefectus, nauauit: statim enim, vt Capitolinus ait, Rhaetias et Noricorum ab hostibus vindicauit. Pax interea conuenit, eo maxime Romanis necessaria, quod pestilens coelum multa millia populorum et militum interemerat. Sed Marcum subinde seu recentes iniuriae, seu superioris periculi species, seu gloria paria faciendi Traiano, qui nuper Dacos in prouinciam redegerat, stimularunt, vt anno 174. Bellum ipse susciperet. Nouis ergo delectibus institutis trans Danubium in Quados mouit.

Ibi Christianorum militum precibus seruatus exercitus: nam in finibus hostium circumuentus, cum esset omnibus pereundum aquarum penuria, prodigio factum, vt repentino imbri, crebris fulminibus permixto, eo velut ostento conterriti barbari in fugam se darent, et milites exsatiata siti immani occidione fugientibus instarent, reportata adeo victoria, quae prodigio similis fama per vniuersum Romanum Imperium, atque ipsius Imperatoris celebrata li-

teris, quibus illam germanicam sitim christiano-  
rum forte militum precationibus impetrato im-  
bri discussum contestatus est, vt luculentus au-  
ctor est Tertullianus. (Apol. c. 6.). Victoriae  
fructus fuit, Pannonii et Norici seruitio liberati.

Plura conantem Imperatorem anno 175.  
trepidum nuncium de Auidii Cassii nouis in Asia  
coeptis auertere. Sed eo periculo breui sedato  
Marcus cum filio Commodo anno 176. tri-  
umphum de Germanis et Sarmatis splendidissi-  
mum egit. Paulo post resumptis in eisdem ar-  
mis denuo profectus ad Danubium Carnuntum in  
triennium commoratus, bellum in Marcoman-  
nos, Hermunduros, Sarmatas, Quados (hos  
Capitolinus nominat) gessit. Praelium exitiale  
barbaris Paternus Legatus intulit: totum diem  
pugna tenuit: tandem interneccione deleti. Mar-  
comanni in deditioem accepti, plurimis in Ita-  
liam traductis, eoque pacto Pannonos et Norici  
rursus asserti.

Inscriptio lapidis in aede Sacra Soluensi,  
seu vt hodie vocatur, Soliensi, nuncupationem  
continet voti ab Noricis pro M. Aurelio: HER-  
CVLI ET EPONAE. AVG. PRO SALVTE.  
IMP. CAES. M. AVR. ANTONINI FELICISSI-  
MI. INVICTI. Eadem apud S. Andreae in  
valle Lauantina. Quam quidem dicationem ex  
bel-

belli Marcommannici causa fuisse nuncupatam non est dubitandum. Hercules enim et Epona seu Hippona Dea militiae equestris eo congruebant. Fundata sub haec tempora in Norico Ripensi colonia Aurelia Antoniniana Ouilabis ab Laureaco non longe distans.

Excessit e viuis Marcus Aurelius seu Vindobonae, seu quod alii volunt, Sirmii anno 180. die 17. Martii. Aduit morienti filius Commodus, qui non tam legionibus quam pecunia securitatem finium redemit, promisso insuper annuo tributo, ac caetera pro hostium libidine stipulatus. Sed hominem cum propter morum flagitia prouinciales aequae ac barbari aspernarentur, iuuit eum virtus ducum ac militum, quibuscum et Dacos vicit, et Pannonias composuit, et Noricos in fide continuit. Interiit detestabilis vltimo die anni 192. cui Heluius Seuerus Pertinax ab Senatu suffectus, bene de Noricis nuper meritus, nec sine dolore publico per seditionem militum interfectus octogesimo Imperii die. Septimius Seuerus cum legionibus Pannonicis praeesset, Carnunti vel Sarmatae Idibus Aprilis acclamatus Imperator, vir catus et strenuus, multis in Asia bellis victor, metu barbaros transdanubianos cohibuit. Superfunt et in Pannonia et in Norico monimen-

ta faxea complura, eius et filii honoribus consecrata. Apud Petouionem erecta est columna votiuua sic insignita.

I. O. M.

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA.

IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI.

PERTINACIS. AVG. DOM. INDVL-

GENTISS. P. P. S. EX. VOTO.

Suscepta sunt, crediderim, haec vota in ipsis Imperii ei delati natalibus, instante bello contra aemulos tres, Didium Iulianum, qui Romae caeso Pertinace fasces inuaserat; Pescenninum Nigrum in Oriente, Clodium Albinum in Gallia. Prioribus duobus extinctis, simul Arabibus, Parthis, Adiabenis deuictis, ex oriente per Pannonias et Noricum in Gallias inuuit, Bassiano maiore natu filio apud Viminatium Caesare renunciato, anno 196. qui inde dictus *Imperator Destinatus*, dum forte per Carniam apud Loncium transfret, ea ciuitas hoc ei saxum dedicauit:

MARCO. AVRELIO. ANTONINO.

CAES. IMP. DESTINATO. IMP. L.

SEPTIMI. SEVERI. PERTINACIS.

AVG. FIL. RESP. LEN.

Quemadmodum pater ob gratum Antonini pii et Pertinacis memoriam sibi nomen vtri-

us-

usque adoptauerat, sic filio per Senatus decretum appositum nomen est Marci Aurelii Antonini. Ita vulgo inscriptiones et nummi; cum alias appellaretur Caracalla. Matri ipsius Iuliae Domnae pro more eius aevi Paetouientes, apud quos forte diuersata est, memoriam posuere:

IVLIAE. AVG. MATRI.

CASTROR. POETOVIENTIS.

Iuuauenses Norici patri et filio plures dicarunt memorias, quarum vnam proferre iuvat.

Imp. Caes. L. Septimi. Seueri.

Pii. Pertinacis. Aug. Arab.

Adiab. Parthici. Max. Et.

Imp. Caes. M. Aurel. Anto-

nini. Aug. Parthici. Max.

Col. Hadrian. Iuuauia. D. D.

Gessit imperium Seuerus ad annum vsque ducentefimum vndecimum, diem quartam Februarii. Inde Caracalla cum fratre Geta: quo tamen paulo post interemto, Caracalla litem Noricum et Pannonicum sibi procurandum defumfit. Sed eo profectus missa belli cura, aurigando, caedendisque cominus omne genus beluis, vt Herodianus scribit, corpus exercuit, rarus idem in iure dicundo aut perfunctorius: rarus in audiendo, dandisque responsis. Porro cum Germanis non amicitia modo, sed prope

familiaritate coniunctus in Socios bellorum et corporis custodes adscitis, eo pacto conueniens omnia, litem illum tranquillum habuit.

Sic anno 217. die 8. Aprilis vitae et ignaviae finem fecit, interfectus a Macrino, qui et ipse cum filio Diadumeniano post annum et bimestre caesus; obtruso militibus Elagabalo, quem anno 222. mense Martio peremptum Alexander Seuerus excepit: quo omni tempore fines Norici Pannoniaeque pacati fuere; eo etiam felices, quod is esset Alexander, qui assidente consiliis Mamaea Matre foemina prudentissima, imperium modestissime administraret.

Bello Persico prospere confecto, de quo ad annum 230. triumphauit, cum inde per triennium commoraretur Antiochiae, Germani procul absente finium custode Rhenum et Danubium transgressi, oppugnatis legionibus, quae ripis insidebant, per vrbes et vicos magnis copiis effusi, Marcomanni cum primis et Quadi de ipsa Italia metum iniecerunt, reputantibus, aliam hic belli rationem esse atque cum Persis; isti enim toto mari disclusi; cum illi tantillo, quod Noricum est, interuallo abessent. Vtrinque et apud Noricos et apud Rhenanos Alexander curauit. Ad Rhenum ipse profectus in ipso belli apparatu per scelus Maximini apud Moguntiacum impe-

rio et vita spoliatus est anno 235. die 14. Martii.

Maximinus Augustus a militibus optatus cum bellum Rhenanum strenue confecisset, in Noricum mouit, eorumque finium hostes terrore compescuit. Execratus hominem Senatus Romanus, odio parricidii in Alexandrum perpetrati, et quod suo iniussu corripuisset imperium, prouincias ab eo distraxit; studiumque suum Gordiano, quem miles Africanus anno 237. mense Martio in solium sustulerat, addixit. Gordianus metu belli sibi manus attulit; in cuius locum Romani Clodium Pupienum et Caelium Balbinum legere eodem anno die nona Iulii.

Sirmii in Pannonia Maximinus agebat: inde sub anni 238. principium minax et fremens in Italiam duxit. Haemonenses metu dilapsi uacuum urbem relinquere, rebus omnibus, quae loco moueri non poterant, igne corruptis. Nauportum oppidum ad radices alpium Iuliarum, cum defensionem ciues pararent, faeuitiam ueriti demum cessere; quos ille murorum parte multauit. Aquileiam ferebatur, quam Crispinus et Menophilus ab Senatu missi propugnabant. Ille fluuio frigido et Sontio, qui aquis hibernis intumuerat, cupis temere inuentis constrato, exercitum traiecit. Enituit in vrbe fides mulierum,

quae chordarum ad balistas et arcus inopiam re-  
fectis crinibus expleuerunt.

Dum ita apud Aquileiam certatur, statu-  
tum apud Noricos monumentum, quod seu per  
assentationem Maximino seu Pupieno, qui vr-  
bem liberaturus aduentabat, victoriae votium  
erat. Id in campo Soluensi repertum Lazius et  
ex ipso Gruterus pag. CIV. exhibet :

VICTORIAE. AVG. SAC.  
FL. TACITVS. CALAE.  
AVG. SEL. MARTIVS. C.  
CONI. AEL. BRT. PRO.  
S. E. S. VISO. OMIN. CL.  
M. KAL. FEB. PIO. ET.  
PONT. COS.

Hoc anno 238. quo Pius et Pontianus Pro-  
culus Consules fuere, congruit. Kal. Februarii  
positum ante exitium Maximini, qui superueni-  
ente Pupieno desertus a milite vna cum filio tru-  
cidatus est vergente mense Martio, vt Pagius  
cum Norisio subducit. Alii expeditionem eius  
et caedem ad Octobrem anni superioris retra-  
hunt: sed obstat Herodianus (L. 8. c. 4.) qui  
manifeste vernum tempus indicat, quo solutae  
vicinorum montium niues, quas longa hyems  
durauerat, maximum torrentem effecerant.



Caeterum inscriptio nunc data cum vel vitiose desumpta sit, vel suapte in reliquis obscura, de *viso* tamen *omine* nescio quo loquitur. Illa vero, quae subiiciuntur, CL. M. Claudium municipium videntur indicare. Quidquid eius sit, interitu Maximini finis bello datus intestino, magnaue cura leuati Norici, in quorum finibus haec agebantur.

Delatum Gordiano puero, Gordiani nuperi nepoti imperium et consulatus, Capitolino teste, quem anno sequenti iniit, extinctis interim seditione militari Pupieno et Balbino. Nuncupata mox apud Noricos vota pro salute Gordiani, templo Solis sub ipsius consulatu, id est anno 239. refecto et dedicato. Dux Norici, quod alibi ex veteri tabula visi sumus eruisse, fuit hac tempestate Licinius Marcellus patritius; Licinia familia deinceps etiam in Licinio Valeriano, qui ad purpuram venit, forte huius Marcelli filio apud Noricos praefecturam agente. Certe minime omnium Iulius Philippus hunc in locum vocandus est. Hunc aliqui fabulantur ex praefectura Carnorum euectum ad supremam occiso Gordiano potestatem. Quirinum ei filium tribuunt: huic lautum obuennisse patrimonium in Rhaetia, Norico et Pannonia; ditiones amplas, in his magnum ciuitatum numerum: has

et recensent duas admodum supra viginti, tot fere, quot cis et trans Danubium per hoc omne regionis inueniri poterant. Et Philippum patrem et Quirinum filium Christianam coluisse religionem: filium insuper fastidita purpura genus vitae sanctius professum Ecclesiae Laureacensi contigisse Antistitem; inde opes, inde ditiones ingentes Sedi Laureacensi partas. Obtinuit haec fabula multas aetates, nata primum ex commentariis martyrii S. Quirini, cuius exuviae translatae quondam ad monasterium Tegernse, quod est in Bauaria, famam isthic et honorem habent. Hunc adeo Quirinum martyrem Philippi Imperatoris et Seuerae filium tradunt, sub Claudio II. Imperatore pro fide Christi caesum. Martyrem duntaxat non Antistitem Aëta produnt. Sed hinc rerum Patauiensium Studiosi non Antistitem modo Laureacensem sed et opulenti patrimonii, quod ante descripsimus, largitorem effinxerunt: e ratione scilicet: quid enim filius Imperatoris et Antistes idem et Sanctus minus faceret? Sed haec dudum explosa, confutatione vltiore non egent. Neque Philippo filius fuit Quirinus aliquis; neque eius nominis Laureacensis Archiepiscopus; Sed Siscianensis in Pannonia, qui sub Diocletiano martyrium fecit anno tertio supra trecentessimum.

Quod

Quod autem de Philippo est, eiusque ad Imperium ascensu, sic habet: Gordianus adolescens in Perside bellum gerebat: ibi fame militem urgente, datus ei tutor et summae rei socius Philippus Arabs, praetorio praefectus; qui breui gliscente inter ipsos dissidio collegam interemit anno 244. Sed ipse vna cum filio cognomine, quem in partem potestatis assumserat, eodem fato multatus a Decio circa mensem Iulium anno 249. Ita per caedes mutuas Romanis fascibus illudebatur.

Ad institutum redeo. Philippis extinctis immensum malorum in prouincias Romanas incubuit. Leuius illud, quod ortum in Norico partibusque vicinis: Iulius Valens, qui Illyrico praesidebat, Imperatorem se dixit; hunc et Norici sequebantur. Sed hanc belli ciuilis flammam illico Decius oppressit. Huc illa spectant Eutropii verba: Bellum ciuile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit: vbi per Galliam suo fere more Noricum intelligit. Neque enim alibi Galliarum motus ille Valentis extiterat, quam in Gallia Illyrica; quae ipsa Noricum fuit.

At exinde velut coniurantibus in perniciem Romanorum Diuis tempestates illae a Gothis et Marcomannis aliisque eius cardinis populis coortae sunt, quibus assiduis deinceps vicinae

prouinciae miserrimum in modum sunt confictatae. Id maxime factum improspere cum Gothis praelio, quo et exercitus in Maesia et ipse Decius interiit anno 251. vergente. Tum vero omnia permixta. Cum enim Gallus Volusianus, qui Decium exceperat, negligenter imperium administraret, ita perhibente Zosimo, quidquid erat gentium trans Danubium, contemptu Romani nominis et spe praedarum excitae partibus vna cunctis inuasere prouincias, Maesiam, Pannoniam, Noricum, Rhaetiam; nihil intactum, nihil integrum reliquere: oppida, quae septa moenibus non erant, excisa; ac ne maenibus quidem satis defensa, quin magnam partem caperentur. Rebus omnibus peruastatis ad ipsum mare progressi sunt. Accesserat lues corporum, quae innumeros mortalium sustulit.

Atque iam barbari velut secura possessione prouinciis insidebant, iugo prouincialibus intolerando. Unus fuit Aemilianus legionum Pannoniae dux, qui praeter expectationem barbaros iis in locis repertos ausus aggredi caecidit: simul imperium contra Gallum et Volusianum arripuit anno 253. Et his exitium ille quidem attulit; sed ipse vix ultra bimestre scenam Imperii iussit. Licinius namque Valerianus in Rhaetia et Norico agens, quod Eutropius narrat, ab

Exer-

Exercitu Imperator ac mox Augustus est saluta-  
tus, in dignitatis consortium vocato Romae eius  
filio Gallieno.

Horum imperium Romano nomini. perni-  
ciosum et pene exitiabile fuit. Prouincias par-  
titi bifariam, pater in Orientem aduersus  
Persas mouit; Europaeos exercitus filio tradidit.  
Sed ille quidem captus ab hostibus vitam exegit  
in vinculis; Gallienus primum in Gallia et Illy-  
rico multa strenue fecit. Ingenuus quidam in  
Pannonia purpuram sumserat: hunc apud Mur-  
sam (Essekinum hodiernum) occidit. Eadem  
fortuna in Trebelliano fauit. Diu se hunc in  
modum sustinuit, placidus idem et quietus; iis-  
que moribus barbaros a finibus vtcunque sub-  
mouit, cum demum in omnem dissolutus lasci-  
uiam, simul fores hostibus prouinciis raptandis  
aperuit. Graecia, Macedonia, Pontus, Asia  
vastata per Gothos: Pannonia a Sarmatis Qua-  
disque populata: Alemanni vastatis Galliis (id  
est Rhaetia et Norico) in Italiam penetrarunt:  
Germani Rauennam vsque venerunt: quin Zosi-  
mus narrat, Gothos diuisis copiis, parte per Il-  
lyricum bacchatos, parte Italiam ingressos ad  
ipsam vsque Romam peruasisse. Quae dum cir-  
ca annum 259. aguntur, vix demum excitatus  
publicis malis Gallienus, vt in Italia curaret,

accurrit e Norico : sed interim loca transalpina barbaris dedit in spoliū ; et quos Roma depulerat , vniuersam prope peruagando affligerunt Italiam. Vix eo malo perfunctus , cum redit ad Illyricum Gothis per Noricum vagantibus occurrit : et quoniam improuisus aduenerat , fortuito plurimos interemit : reliquos infecutus in carraginem hostium incidit : vbi dum luctatur , illi per montem Gestacem prouinciae spoliis onusti effugerunt.

Refert haec Trebellius Pollio : atque ea ad Noricum mediterraneum pertinere montis mentio Gestacis , quem Noricis auctores adscribunt , in aperto facit. Megiferus pugnatum ait in campis Clagenfurtensibus , ductore Valerio Aureliano , pro patrio solo strenue dimicante. Sed haec parum comperta. Illud indubitatum , maximis cladibus per haec tempora laniatos esse Noricos , hostibus trifariam per hoc Italiae vestibulum irrumpentibus : Gothis ab Oriente , ab occasu Alemannis , a Septentrione Marcomannis et Quadis , quos Germanorum nomine designat Eutropius. Sed hos quidem Gallienus tantisper sedauit ; id non sine grandi Romanae ditionis iactura. Partem namque superioris Pannoniae Marcomannorum regi ex pacto concessit. Ad hoc eum et ignauia et libido perpulit , amore fla-

gran-

grantem filiae regis (Pipum Victor vocat) quam  
matrimonii specie domum duxit.

Haec anno 260. vel postero gesta sunt ;  
paulo post necem Gallieni iunioris, seu Cornelii  
filii, quem apud Coloniam Agrippinam Posthu-  
mius interfecerat. Hic Posthumius etsi in tyran-  
norum numero, quorum admodum triginta per  
ignauiam Gallieni variis in prouinciis eruperant,  
conuulsam atque in praeceps ruentem republi-  
cam in occidente sustinuit; quemadmodum Ode-  
natus in oriente. Plurimum malorum exforbe-  
bant Illyrici. Isthic enim, etsi Marcomanni pa-  
tionibus deliniti paulisper cessauerant; ab Go-  
this tamen, qui Scytharum nomine scriptoribus  
veniunt, nullae feriae, tanto acrius insultanti-  
bus, quo languidius resistebatur. Eo bello dum  
Gallienus vrgetur, terrore Posthumii tendentis  
e Galliis in Italiam, Mediolanum accurrit: illic  
ab Aureolo copiarum equestrium duce peremptus  
est anno 268. Martio mense.

Respirasse visus orbis Romanus subrogato  
strenuo principe M. Aurelio Claudio, qui vtpri-  
mum sibi fasces afferuerat extincto Posthumio an-  
no 269. bellum cepit in Gothos, quos in  
Maesia affecutus tanta clade confecit, quanta  
nullis annalibus legitur. Trecenta viginti millia  
deleuisse, scribit ipse ad Iunium Brochum Illy-  
rico

rico praefectum: duo millia nauium demersa; plerosque captos Gothorum reges; impletas barbaris feruis Romanas prouincias; et quae alia in eadem epistola gloriose gesta leguntur. Sed fructum victoriae mors Claudii praefestina interuertit, morbo consumti sub finem anni sequentis 270. Quo primum audito Gothi denuo (tanta seges eius gentis extiterat) tractis in Societatem Marcomannis et Quadis in Pannoniam irruunt. Festinandum fuit Aureliano, qui rerum summam a Claudio acceperat: ancipiti Marte discessum.

Alia parte Marcomanni per Noricum in Italiam decurrunt: quibus Aurelianus cum a fronte non curat occurrere, dumque illos a tergo parat insequi; iam omnia circa Mediolanum arserunt. Ibi dum ferunt aguntque, ventum ad manus: tribus praeliis victoria constitit, apud Placentiam, iuxta Metaurum amnem, postremo Ticinensibus in campis. Ita cladem per errorem acceptam Aurelianus refarsit, Romanamque ditionem ad fines pristinos reuocauit, submotis videlicet ultra Danubium barbaris. Et haec ad annum 271. gesta: qua quidem clade satis apparet, sic attritos esse Marcomannos, ut inde se praebuerint haud paulo quietiores. In multos enim posthac annos neque sub Aureliano, neque sub Tacito aut Probo, neque sub secutis Impe-



ratoribus memorabile quidquam gesserunt; quin eorum nomen sensim prorsus evanuit.

De Aureliano ad annum 274. legitur apud Vopiscum: Ad Gallias profectus Vindelicos obsidione barbarica liberavit: deinde ad Illyricum rediit, paratoque exercitu Persis bellum indixit. Vbi videre est, quam solenne fuerit olim scriptoribus pro Rhaetia et Norico Gallias dicere. Sed hoc obiter. Ex Illyrico cum in Asiam Aurelianus legiones duxerit, argumento est, in Illyrico omnia fuisse pacata. Sed in ea belli Persici molitione Aurelianus interiit, et ipse misero Imperatorum fato peremptus post initium anni 275.

Successit Tacitus, et subinde Florianus properato amborum exitio ad annum 276. quo ipso Probus in Illyrico prodierat Imperator, strenuus idem et felix; cuius ea fuit ob fines in tuto vndique locatos gloriatio, breui milites non fore necessarios. Apud Danubium tamen ei Sarmatae, Basternae, Vandali et Gepidae gentes Gothicae negotium facefferunt, Romanos fines fide rupta populati: quos ille variis praeliis opprescit; Basternas bene centum millia in solum Romanum traduxit. Tantorum meritorum exitus is fuit, qui decessorum. Interfectus est apud Sirmium tumultu militari. Scribit Eutropius. Eum Gallis et Pannonibus permisisse, ut vineas ha-

haberent. Quam ego veniam ad Gallos occidentales pertinere vix putem, vt quae regio dudum exulta quin et vineas antehac excoluerit, ecquis dubitet? Ad Gallos igitur orientales Pannoniae vicinos, apud quos Probus postremo tempore agebat, ea concessio spectabat. Sed hoc in medio fit. Interijt Probus anno 282. inclinante. Inde Carus cum Carino et Numeriano filiis. Carus in Orientem bellum Persis illaturus abiit: Carino procurationem Illyrici reliquique Occidentis reliquit. Sub isto Euilafius Norici Praefecturam agebat: quod ex martyrio Maximiliani testatum est. Omnium trium maturus interitus. Diocletianus anno 255. Carinum omnium odio et detestatione viuentem apud Margum Maesiae inter Viminatum et aureum montem praelio laeffitum in perniciem dedit, suorum ictu necatum.

Laborabat haud dubie magnitudine sua Romanum Imperium. Placuit igitur partiri curas: Diocletianus assumpto primum Maximiano Herculeo, quem et Augustum renunciauit; deinde Constantio Chloro et Galerio Armentario in nomen Caesarum adoptatis, sic inter sese diuisere prouincias, vt Diocletianus quidem oriente sibi retento, Italiam et Africam Herculeus, Constantius Galliam Britanniamque et Hispaniam, Illyricum omne ad vsque Ponti fretum Galerius, qui  
et

et ipse Maximianus dictus est, sortiretur. Foederum facies in prouinciis: exactiones inauditaе, unoquoque in parte sibi tantum arrogante, quantum alias Augustis redibat ex vniuerso; vt adeo enormitate indictionum, quod scribit Lactantius (de mort. Persec. c. 7.) consumptis viribus colorum desererentur agri, et culturae verterentur in siluam. Prouinciae quoque in frustra concisae: multi praesides et plura officia singulis regionibus ac pene iam ciuitatibus incubare. Et alia, quae de his temporibus idem auctor aequalis lamentatur.

Hic, ni fallor, lis illa Scriptorum resoluitur, tempusque et causa detegitur, diuisionis Norici in Mediterraneum et Ripense. Nempe census intererat exactius instituendi, prouinciam in duos praesides dispertire. Neque ante eum diem vllum subluet huius factae partitionis indicium. Exhinc igitur procuratio Norici bipartita; quemadmodum et Pannoniarum, quas quadrifariam diuidi placuit, in Primam et Secundam, Valeriam et Sauiam. Valeriae nomen ei parti tributum, quae iuxta lacum Peisonem secundum margines Istri, vt Victor et Marcellinus scribunt, protendebatur; quem agrum satis reipublicae commodantem caesis inmanibus filuis, atque deriuato in Danubium lacu, quem dixi, Galerius

aperuit, et vxoris nomine Valeriam appellauit. Nec admodum succensendum puto Scriptoribus, qui Stiriae hodiernae fines orientales in partem Valeriae veteris imputant, quod et Rufus Valeriam inter Danubium et Drauum extendit, et illud ex dicendis liquebit, Valeriam vnacum Norico diuulsam ab reliqua Pannonia per Constantinum curae Praefecti Praetorio Italiae fuisse mandatam; et inde videtur ortum, quod Ammianus Marcellinus Petouionem eorum finium urbem adscribat Noricis, confuso iam nomine Valeriae et Norici orientalis: quo et mysterium illud dispalescit, quod auctores quidam Graeci ciuitatem Noricum seu Noracum in Pannonia reponant: vbi vox ciuitas more Graeco imo et latino loquendi non pro vrbe tantummodo, sed pro tractu regionis integro videtur capienda.

Satis apparet, Galerium, qui per annos admodum quindecim Illyricos sinus vrgebat ditionibus, vt Prudentius canit, id est, Illyrici dux et gubernator fuit, prae caeteris id locorum prouinciis adamasse Pannoniam; quo cum et negotia vocabant belli. Id cum Carpis, Baster-nis, Sarmatis gessit, et castra apud Acincum, hodiernae Budae respondens oppidum, habuit anno 294. Ingentem edidisse de barbaris cladem, illa tumens Eumenii Rhetoris oratio declarat:

rat: Adoratae sint mihi Sarmaticae expeditiones, quibus illa gens prope omnis extincta est, & pene cum solo nomine relicta, quo seruiat. Contenta sit voce gloriae suae etiam proxima illa ruina Carporum. Hæc ille.

**N**ihil hætenus de religione Christiana Noricorum dictum est, cujus illustria documenta per id temporis præbuere martyria, Maximiliani cum primis apud Celeiam, sub Carino; inde sub Diocletiano & Galerio Quirini Siscianensis Episcopi apud Sabariam Pannoniæ; Victorini Ep. apud Petovionem; Floriani in Ripensi Norico apud Laureacum. Sed hic adeo cum res ferat, exacta iam cursim rerum ciuiliū, ut se apud Noricos ad hoc usque locorum habuerit, narratione, relegendum tantisper iter, ac de religione, quæ nobilissima reipublicæ pars est, ut rerum patietur obscuritas, summatim dicendum.

Noricorum religio ante dominatum Romanum eadem haud dubie fuit, quæ caeterorum Gallorum seu Celtarum, quos a maioribus suis institutos cultum vni DEO adhibuisse, et immortales animas, ac subinde in corpora sua redituras sensisse tradunt Strabo & Appianus; quos idcirco mortis contemptores animis ferocissimis in prælia descendisse memorant. Inde Graecorum et Italorum contagione ad idola et superstitiones pro-

lappi coluere Belum, Herculem, Fellinum, Venerem caluam, Neptunum, Solem, Martem, Iunonem, Dianam. Certe Iunonem olim apud Noricos eximie cultam, traditio in hunc diem est: bene magnum terrae tractum ei fuisse nuncupatum, aiunt, quam ex ea Vallem Iunoniam vocant: saxum ostentant in campo situm, super quo simulacrum Deae venerationi populi statutum fuisse praedicant; Saxo et hodie nomen vulgatum Iaunstein. (Podiun.) Quae ego sane non abs omni vero esse iactata putem.

Caeterum institutum harum gentium pro more omnium borealium longe antiquissimum fuit, pro templis excolere lucos, quos data opera in Deorum cultum conferebant, cuiusmodi apud Carnos exteriora Norici colentes fuisse in Burni saltu apud alpes Iapodum, Dandulus auctor est: alterius situm inter Aquileiam et Alsam fluuium Aquileiae proximum statuit Capitolinus in Maximino iuniore. Attamen viguit aliquando his in oris memoria templi Diomedis prope fontem Timai, in quo candidum equum Diomedis sacrificatum opinatur Strabo; nisi rectius dixeris, sacrificatum fuisse Neptuno: ostentatur enim extra templi septa murus, ex quo equum fuisse in mare iactatum ferunt. Ipsius porro templi rudera se narrat iustrasse Martinus Bautsnerus noster in  
com-

commentariis Istriae manuscriptis : longitudo ait, templi a meridie ad septentrionem producta, duplici transverso muro discreta fuit : pars prima vestibulo similis fornice caruit : partes aliae duae fornicibus erant instructae : quarum pars superior aevo nostro rupta hiat. Fornices ipsi spinis oppleti sunt, ne animalia pastum quaerentia in eas incidant. Haec ipse. Caeterum imperio huc locorum promoti Romano coloniisque deductis superstitiones vna Romanas huc influxisse, tot probant relicta in Saxis monumenta.

Orta subinde per aduentum Redemptoris meliori luce, quandonam ea demum ad Carnos et in Noricum illata sit, si documenta certa et perspicua requiras, actum fors egeris ; si rationem consulas, erit, quod non abs re dici queat. Ita profecto statuo, et initia religionis apud Noricos, et progressiones et fata fere eadem fuisse, quae in Italia contigua. Iphis iam Apostolorum temporibus Euangelium isthuc inuectum atque diffusum esse, non est, quod dubitetur. Nec id fieri non poterat propter assiduam, qui has peroras institui vltro citroque debebat, seu ex oriente, seu ex Italia com meatum : quo sane necesse erat viros apostolicos, qui mox a facta Hierosolymis dispersione Asiam, Graeciam, Illyricum, Italiam percurfabant, in Pannoniam quoque &

Noricum ita ferente itinere deuenire. Neque ab Vrbe Roma cessatum est, vbi cum nominis Christiani signifer Petrus imperante Nerone sedem fixisset, inde velut ex arce discipulos suos vsque quaque mittebat: de quibus et Marcum Euangelii scriptorem ad Aquileiensem coloniam, quae altera velut Roma habebatur, esse destinatum, constanti traditione compertum est. Ecclesiam certe sub ipsis Euangelicae praedicationis initiis fuisse Aquileiae fundatam, acta Martyrum iam inde primo aerae Christianae seculo exantlata demonstrant. Quin et fama fert, et ratio suadet, apostolum, vt solebant tum homines illi diuino spiritu agitati nullis facile contineri locis, ad ipsum etiam transcendisse Noricum atque ad fines eius extremos Laureacensis Ecclesiae fundamenta iecisse: id certe literis Pontificiis proditum est, Ecclesiam illam ab Apostolis esse fundatam; ipsam esse, quae in exordio nascentis Ecclesiae a doctoribus Romanae sedis Catholicae fidei rudimenta perceperit, ita Symmachus Pap. in lit. ad Theodor. Laur. Seu Marcus igitur, seu quis alius e collegio apostolico fuit, qui hanc apud Noricos famam promeruit; pari fere, quod Euangelii promulgationem attinet, Noricorum cum vicinis Aquileiensibus conditione, a quibus et Sacerdotes accipere, et iura sacra petere, religionis



onis haud dubie inde acceptae merito omni tempore confueuerunt. Quod enim Laureacum in Ripensi Norico fuit, hoc in Mediterraneo Aquileia, fons et Mater Ecclesiarum.

Sed quod de Marci quidem praedicatione apud Noricos traditione et ratione conualuit, hoc de Luca Euangelista tanto est compertius antiquissimi scriptoris testimonio, quod insigne prorsus est eorum, quae diximus, firmamentum. Epiphanius est permagnae inter Ecclesiae Patres auctoritatis et nominis: hic lib. 5. contra haereses de S. Luca Euangelista ita scriptum reliquit: Huic praedicandi Euangelii munus est creditum, idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia et Macedonia praestitit; sed in Gallia prae caeteris, ut de nonnullis comitibus suis Paulus in epistolis testatur: Crescens, inquit, in Gallia: non enim in Galatia legendum est, ut quibusdam immerito placuit: sed in Gallia. Haec auctor ille grauissimus, qui sub seculi quarti finem florebat, in his scribendis, quod et Petrus de Marca existimat, adiutus commentariis Hegesippi scriptoris vetustissimi, cuius opus de Ecclesiarum originibus tum adhuc integrum extabat. Quod quidem testimonium de S. Lucae et Crescentis in Gallia praedicatione vetat Epiphanius ipse de Galatia Asiae prouincia intelligi: et nec de Gallia superiore seu

occidentali interpretandum est, sed de inferiore seu media inter Dalmatiam et Italiam; quod ipse quoque sententiae ordo demonstrat, illa nimirum, quam et Plutarchus in vita Pauli Aemilii Inferiorem Galliam juxta Adriaticum mare sitam appellat; id ipsum agnoscente Mela pervetusto Geographo (L. 2. c. 3.), qui mare Adriaticum Illyricis usque Tergestum, caetera Gallicis Italicisque gentibus cingi perhibet, eo prorsus intellectu, quo dudum in praemissis appellationem Galliae Noricis gentibus et Romanorum et Graecorum ore attributam fuisse identidem a me cantatum est.

Est haec profecto notitia quantiuis pretii, cuiusmodi haud facile reliquis ad occasum vergentibus populis, etsi multo opere a viris antiquitatum studiosis ambiretur, obtigit, retrusis ut plurimum in tantam caliginem Ecclesiarum primordiis, ut cum plerique suas ab Apostolorum aliquo, aut apostolicis temporibus deriuare nitantur, in hodierni tamen seculi crisi nihil ultra coniecturam promoueant. Quo magis autem Ecclesiae Noricae tanto Apostolo gloriari et consolari se possint, notatu plane digna est illa in oraculo Scriptoris apposita distinctio, qua Dalmatiam quidem et Italiam et Macedoniam ab Luca peragratam et excultam testatur; sed Galliam, id est Noricum, prae caeteris; haud dubie, quod et diutius isthic hae-

ferit, et latius eam regionem obierit, eoque plures fundauerit Ecclesias, quantas haud alibi: in quibus haud immerito Laureacensem reputes, in qua certe constituenda Lucam Marco sociam iunxisse operam uti vetus est in eius Ecclesiae monumentis memoria, ita quam non vana, satis arguunt ea, quae nunc diximus. Pro Luca igitur testis est Epiphanius, pro Marco res ipsa, qua constat, Ecclesias Noricas omnibus retro seculis ad Aquileiensem ut matrem et metropolim se retulisse.

Sed his religionis apud Noricos initiis ita rite perspectis maxima succedit rerum, quae inde secutae sunt, obscuritas; verum id perinde, ut in aliis passim Ecclesiis, et in ipsa Aquileiensi, in qua praeter S. Hermagoram Marci discipulum, ab ipso S. Petro scipione pastorali donatum, quem in hunc diem incorruptum in thesauro Ecclesiae illius ostentant, praeter socium eius Fortunatum, aliosque, qui fidei christianae causa martyrium isthic fecerunt, et in serie Antistitum et in aliis ad rem christianam pertinentibus negotiis altissimae sunt tenebrae, memoriis omnibus seu per tyrannorum saeuitiam, seu per incursiones hostium, seu ipsa vetustate conscriptis. Id ipsum de Norico dixeris, ubi vnum testatum est, fuisse, qui Christum colerent, haud paucos; fuisse et loca.

fa-

facra et sacerdotes et Episcopos; neque dubium, quin et egregia pro fide certamina; praeter generalem inquam notitiam, quam de prima Christianitate, de persecutionibus in eam per vices excitatis habemus; disertius aliquid velle dicere, est operam omnino ludere.

De Sedibus Episcopalibus in Norico interiore constitutis Tiburniensi, Cileiensi, posteriorum temporum documenta nos instruunt: et de Peto uensi, quam inter Episcopatus Pannonicos fuisse relatum, vero est similis, vnus ad tempora Diocletiani Victorinus Episcopus idemque Martyr est testis. Ea tamen notitiarum penuria nequaquam prohibet, quin Episcopatus hosce longe etiam maturius esse conditos putemus; quod sane necesse erat, ouium illarum esse quosdam pastores: quorum tamen successionem et nomina fauities temporum oppressit. Id eo tristius accidebat Noricis, quod haec prouincia ceu suburbana Italiae, ac propter assiduos barbarorum incursus, qui praesentiam Principum requirebant, vt erat in oculis, ita fauitem effugere non poterat, vt adeo siquid in Deorum contemptores atrociter decretum esset, hi omnium primi experirentur. Lugendum sane non extitisse scriptores, qui ea praemia pro Christo obita mandarent memoriae: quot et quanta! facile cogitatu est.

Vnus a nato Redemptore Maximilianus in-  
claruit, qui cum esset Laureacensium Antistes,  
de bona Sixti II. Papae venia, vti municipes suos  
aut imbueret, aut corroboraret in Christi fide,  
Celeiam se contulit, vbi Eulafius Norici Praeses  
Carini Imperatoris mandato miscebat omnia, vti  
Christianos ad venerandum, quod proponebatur,  
Martis simulacrum adigeret. Vnus furentem au-  
sus arguere Maximilianus capite luit, e quo haud  
paulo minus sanguinis, quam gloriae et exempli  
ad roborandos alios, quin et aquae salutaris, quae  
in loco pugnae fertur mirabiliter emerfisse, pro-  
fluxit. Neque dubium, quin hanc lanienam et  
huius et aliarum vrbium ciues eadem de causa  
tum subierint, continuata ad plures inde annos  
celebri illa in fastis Martyrum Numeriani et Ca-  
rini persecutione: quam subinde Diocletianus ad  
prios Imperii sui annos mitigauit, donec et ipse  
gustato apud Aquileiam et alibi Christiano cruore,  
ad haec stimulis Galerii Maximiani, qui Pannoni-  
am et Noricum pro Duce regebat, efferatus, fe-  
rale illud edictum apud Nicomediam anno aerae  
nostrae 303. Februario mense proposuit, quo  
exitium omnibus, qui sacrificare Diis abnuerent,  
denunciabatur: petebantur inprimis Christiano-  
rum Antistites, vti pastoribus percussis tanto fa-  
cilis dispergerentur oves.

Continuo mandatis in provincias euulgatis  
quanta edita sint inde caedium hinc christianae  
fortitudinis exempla, facti pleni sunt: Tunc in  
Pannonia prima Quirinus Scisciensis Episcopus in  
profluentem iactatus, cum aliquamdiu vi diuina  
supernataret aquis, miraculum deprecatus, co-  
ronari meruit: Tunc apud Laureacum Florianus,  
de quibus supra memoratum est; tunc Petouione  
Victorinus Episcopus, praeclarum harum parti-  
um lumen, cui inter illum armorum fremitum gen-  
tiliumque tyrannidem non otium modo fuit com-  
mentarios sacros scribendi, sed etiam euulgandi  
fiducia: Eum S. Hieronymus inter scriptores lau-  
dat Ecclesiasticos, eiusque lucubrationes recen-  
set in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in  
Esaïam, in Ezechielem, in Cantica et Apocaly-  
psin Ioannis, opus etiam aduersus omnes haere-  
ses praeter alia complura: talemque de his for-  
mat censuram: Victorinus Petabionensis Episco-  
pus non aequè latine ut graecè nouerat: unde  
opera eius grandiora sensibus, uiliora uidentur  
compositione uerborum. Ad extremum marty-  
rio coronatus est. Ita de eo Doctor maximus,  
qui et alias nonnunquam Victorinum suum uocat,  
patriae credo necessitudine, seu quod ciuis et  
ipse fuit Stridonensis, seu quod urbis uicinae Epi-  
scopus. Neque enim longè Petouia Stridone  
dissidet, Hieronymi patria.

Et haec Martyrum apud Noricos nomina per  
tria aerae Christianae secula ad notitiam postero-  
rum venire, clarioribus eatenus Aquileiense-  
rebus, apud quos et qui martyria passi sunt, fuere  
permulti, et qui ea mandarent literis, non defu-  
ere. Celebratur Hermagoras cum Fortunato  
Diacono sub Seuasto praeside, sub quo et Euphe-  
mia, Dorothea, Thecla et Erasma virginitatis flo-  
rem fuso sanguine decorarunt. Celebratur et Hi-  
larius eius urbis Antistes, quem alii sub Domi-  
tiano, sub Numeriano alii coronatum ferunt. Ei  
socium Tatianum adiungunt, cum Felice, Largo  
et Dionysio: et Tergeste Carnorum colonia La-  
zarum habuit Diaconum Antonino imperante cae-  
sum: praeterea Apollinarem itidem Diaconum,  
cum Euphemia et Tecla virginibus Decii perse-  
cutione passis; ad haec Seruulum, qui sub Nu-  
meriano, et Iustinam virginem, ac Zenonem et  
Iustum, qui sub Diocletiano fidem in Christum  
eadem in ciuitate sanguine consecrarunt: quos  
ibidem Sergius et Bacchus excepere; Aquileiae  
Cantius, Cantianus et Cantionilla sub Sifinio co-  
mite et Dulcio praeside abscissis ceruicibus immo-  
lati, quos haud multo eodem mortis genere con-  
secutae sunt Cyria et Mussa virgines; item Felix  
et Fortunatus: et his celebrior Chryfogonus ad  
Aguas gradatas securi percussus; nihil eo segnius  
flam.

flammas et sagittas excipientibus foeminis Aquileiensibus, e quibus eodem praefide Dulcio clauere tres virgines sorores Agapa, Chiania et Irene. Ita per aetates, quibus ethnici principes rerum potiti sunt, non sine multo sanguine, ut alibi passim, ita his maxime regionibus, quae saepius ab iisdem frequentabantur, fides christiana stetit; quae cursim memorare libuit, ut, quae conditio fuerit Christianorum in Norico, vel e vicinis exemplis intelligas, simul ut eorum memoria non illaudata praetereat, quorum nominibus complures in Carinthia Ecclesiae in hunc diem dicatae visuntur.

Nunc redeamus in viam, et quae reliqua fuerit huius prouinciae sub Romanis fortuna, quae populorum immigrationes et clades, ad eum usque statum, quo res in totum conuersae sunt, exequamur.

Praeter Christiani nominis persecutionem, quam Galerius maxime adurgebat, in Norico adaeque ac alibi summa cum saeuitie exercitam, nullis caetera malitionibus hostium agitata prouincia. Fuit anno 305. cum Diocletianus et Maximianus Herculus abdicata potestate suprema ad vitam priuatam se retulere; Galerius summam rerum adeptus pro tyranno supra fidem egit, crudelitatem nuper oceptam in Christianos tristi-



stioribus semper inuentis exaggerans: nec in hoc modo, sed in omne genus hominum. Neque enim vnquam sine humano cruore coenabat. Cum artus hominum discerperentur a bestiis, ridebat suauissime. Nulla leuior poena, non insulae, non carceres, non metalla; sed lentus ignis, crux, ferae, in illo erant quotidiana et facilia. Animaduersio gladii quasi beneficii loco et ob merita vetera deferebatur. Census in prouincias et ciuitates semel missus, censitoribus vbique diffusis et omnia exagitantibus, hostilis tumultus et captiuitatis horrendae speciem praebebat. Agri glebatim metiebantur, vites et arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur; tormenta ac verbera personabant. Ad professionem fortunarum filii aduersus parentes, serui contra dominos, vxores aduersus maritos cruciatibus adigebantur. Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur; et cum dolor vicerat, adscribebantur, quae non habebantur. Nulla aetatis, valetudinis excusatio. Luctu et moestitia plena omnia. Quae veteres aduersus victos iure belli fecerant, haec ille aduersus Romanos Romanisque subiectos facere ausus est; quasi vlturus eo pacto census, quos olim Traianus Dacis, parentibus eius, assidue rebellantibus poenae gratia victor imposuit.

Interea minuebantur animalia, mortales obibant;  
et nihil minus tributa soluebantur pro mortuis;  
vt nec viuere iam, neque mori saltem gratis li-  
ceret. Mendici supererant soli, a quibus nihil  
exigi posset: fecit, vt non egerent: congregari  
omnes iussit; et exportatos nauiculis in mare de-  
mergi.

Quae faeda et atrocia totidem fere verbis  
ab Lactantio (c. 21. 22. 23.) narrata, cum in  
iis maxime prouinciis, quae in portione Galerii  
erant, proinde et in Illyrico exercerentur, facile  
cogitatu est, quam intoleranda tum fuerit Nori-  
corum conditio. Sed vniuersim Romanae rei  
foeda prorsus ac miserabilis erat facies: populus  
ferme extiterat principum, quorum alter cum al-  
tero sceleribus et saeuitia et ambitione certabat.  
Galerius Nicomediae, in Syria Maximinus, Ro-  
mae Maxentius, Seuerus eidem oppositus ac rur-  
sum Maximianus Herculius e priuato reuersus  
ad solium: subinde et Alexander in Africa; et  
his cunctis superadditus apud Carnuntum Lici-  
nius: vnus in his moderatione et innocentia emi-  
nebat Constantinus iam anno 306. fremente Ga-  
lerio renunciatus Augustus. Illi caeteri intra  
pauillum annorum manifesto Dei iudicio pes-  
sumdati: Seuerus anno 307. ab Herculio nece-  
tus: ipsi Herculio sub annum 310. elisae fauces.

An-

Anno consecuto Galerius apud Sardicam putrefactus contabuit. Alexander acie victus disparuit anno 312. quo ipso Maxentius apud urbem a Constantino profligatus, praecipuus datus in Tiberim. Maximinus omnium flagitiosissimus anno 313. castris exutus a Licinio vicinum exitium veneno hausto praeuenit.

Supererat Constantinus et Licinius: ille nuper viso Crucis et prodigiosa de Maxentio victoria totum se iam Christo dederat. Eodem ferri studio Licinius videbatur: ipsos et necessitudo coniunxerat, sorore Constantini Constantia Licinio nupta. Illyricum omne cum Oriente videtur exemplo decessoris fuisse in procuratione Licinii. Verum adeo venerabilis apud populos erat fama Constantini, ut studium in eum suum Noricique et Pannonos non obscure sed apertis imo documentis testarentur, statuasque passim et signa palam eius erigerent et nuncuparent honoribus. Quae res animum Licinii supra, quam credi possit, momordit. Et hic vsuuenit, ut duos vna sedes non caperet. Alienatio Licinii eo primum erupit, cum apud Aemonam Pannoniae superioris urbem atque haud dubie apud vicinos etiam Noricos imagines et statuas Constantino positas deiici mandauit. Res ad bellum venit anno 314. Norici continuo in fidem se Constant-

stantini dedere. Praeses Norici mediterranei  
tum erat Martinianus. Constantinus copiis per  
Noricos et alpes Iulias in Pannoniam Sauensem  
infusis Licinium apud Cibalim oppidum ingenti  
apparatu bellum instruentem occupauit: fudit,  
fugientemque per Sirmium in Thraciam iterato  
praelio perculit. Pax inde conuenit: Pannonia  
et Noricum cum potiore Illyrici parte Constanti-  
no cessit.

Praeses Norici uti suum aduersus victorem  
officium contestaretur, apud Celeiam oppidum  
prouinciae caput, ubi sedem habebat, perpetua-  
m ei memoriam, simul tesseram fidei publicae  
posuit:

D.N.FL.CONSTANTINO.CLEMENTISSIMO.  
ATQVE.VICTORI.AVGUSTO.MARTINI-  
ANVS.V.P.PRAESES.NORICI.MEDITER-  
RANEI.D.N.M.Q.EIUS.

Nescio, num temere existimem, hunc ipsum fuisse  
Martinianum illum, qui deinde partes secutus  
Licinii, consors ab eo factus dignitatis Augustae,  
in bello, quod postea renouatum est, parem exitum  
inuenit. Nihil incredibile, praesidem illum  
Norici, forte coeptis Constantini in causa religionis,  
aut Licinii promissis ad defectionem impul-

pulum esse : quando praeterea non occurrit alius ad ea tempora Martinianus aequè clarus ac eminens , in quem cadere suspicio tantae admissi-  
onis apud Licinium captatque Imperii queat. Sed hoc vtut sit, concordia nuper sancita, propter Licinii mores haud potuit esse perpetua. Cum enim ad id locorum professus esset, aut certe simulasset religionem christianam, repentina rabie suscitatus christianos omnes e palatio iussit expelli. Mox bellum inter ipsum et Constantinum efferbuit. Id quidem Gothi et Sarmatae, quibuscum quadrien-  
nio bellum fuit, tantisper morati sunt. Sed anno demum 323. versa in Licinium arma, quibus ad dediti-  
onem adactus est anno 324. vnicuique Mar-  
tiniano, quem Augustum dixerat; vterque anno postero ille Thessalonicae, hic in Cappadocia iussus occidi.

Quam sibi Norici de Constantino plauderent, quam gratularentur, docet monumentum Leibnizense plenum animo gestienti; quod haud dubie post experimentum pietatis eius et clementiae consecrarunt :

D. N. FL. CONSTANTINO. MAXIMO. BE-  
ATISSIMO. AC SVpra. OMNES. RETRO.  
PRINCIPES. PISSIMO. SEMPER. AVGVSTO.  
BONO. REIPUBLICAE. NATO.

Quam quidem scripturam satis apparet a Christianis esse dedicatam, quippe quod ea laus pietatis bonique publici minime fit ad gentilium stomachum; vti quos constat, haud aliud magis in Constantino accusasse, quam impietatem Deosque desertos, rei que publicae ob noua caepta conuersionem.

Insigne fuit Decretum Constantini an. 312. et 313. quo plenam libertatem Christianis indulgit, lege absolutissima et copiosissima, vt Eusebius scribit. Tum et Episcopatus seu instituti seu quod magis existimo, restituti apud Celeiam et Tiburniam, quibus in locis compertum est deinceps Episcopos floruisse. Certe in Concilio Sardicensi, quod anno 347. celebratum, adfuisse etiam Episcopos ex Pannoniis et Norico diserte prodit epistola synodica: licet Episcoporum nomina non exprimantur. Erant hi in prouincia metropolitae Aquileiensis, eiusdemque suffraganei; et hi tamen vna cum metropolita suo ad Primate se referebant Italiae: quemadmodum enim Noricum sub Praetorio erat Italiae in ciuilibus, ita in sacris sub Italiae Primate, qui erat Archiepiscopus Mediolanensis. Receptum enim erat vetustis Ecclesiae moribus, conditiones et praefecturas sacras accomodare ciuilibus. Inde est, quod hoc eodem seculo praeclara enisuerit Ambrosii Mediolanensis

sis Antistitis has in Ecclesias vigilantia, vti plus alibi memorabitur.

Quid autem sit de Praetorio, cui dicimus adscriptum fuisse Noricum, ita se habet: Summus apud Romanos magistratus erat Praefectura Praetoria, quae primum vnica duntaxat fuerat. Constantinus diuisit quadrifariam, in Orientalem, Illyricam, Italicam et Occidentalem. Praefectus Praetorio Illyrici, quidquid erat a Pannonia in ortum et meridiem, moderabatur, et ipsas cum primis Pannonias, Valeria demta, sedemque habebat Sirmii, quae vrbs inde caput totius Illyrici habebatur, ita Zosimus l. 2. Hist. Porro Valeriam, quae pars erat Pannoniae Superioris, vna cum Norico Praefectus Praetorio Italiae in hac noua praefecturarum descriptione per Constantinum facta procurandam suscepit: id quod exinde perpetuo obtinuit, quoadusque Noricum sub Romanis egit.

De Episcopatibus dixi sub Constantino fundatis aut restitutis apud Celeiam et Tiburniam: quid non item apud Flauium Soluense, vbi plerique scriptorum, qui res Salisburgenses et Carnicas commentati sunt, sedem episcopalem aliquando viguisse contendunt? Idipsum adstrui posset de Viruno, quae inter oppida Norici primo loco nominatur a Plinio. Sed nempe de Celeia et

Tiburnia id testatum est ex actatibus consequutis: de duobus alteris non item: neque episcopi locorum illorum inueniuntur vlli, neque alia suppetunt documenta. Quod enim de fundata apud Soluenfes episcopali sede per S. Modestum auctores affirmant, id et longe recentius est aeuo Constantini, et ipsum nullo sat idoneo substructum fundamento; qua de re ferius.

Caeterum quod statum attinet Noricorum ciuilem; hostes nulli: Gothos enim et Sarmatas, qui circa limitem Pannonicum fremebant, Constantinus armis et terrore procul habuit. Nobilitatem Sarmaticam, quam plebes et serui rebellantes pepulerant, vnacum clientibus suis, vniuersim trecenta et amplius hominum millia mixtae aetatis et sexus in prouincias Romanas Constantinus recepit, ad Italiam vsque distributas; vt adeo iam tum Sarmatarum seu Sclauorum natio Pannoniis et Noricis fuerit admixta: quorum deinde post secula fere duo torrens integer et eluio se prouinciis Carnicis infudit, potioemque earum partem occupauit. Idem Constantinus dum Vandalis, qui trans Danubium habitauerant, Gothorum tribulium infestatione defessis, gratificari vult, et simul finibus Pannoniae per hos velut praesidiarios consulere, iis, vt cis Danubium in Pannonia circa Bregetionem sedes caperent,

in-



indulſit, beneficio in magnas olim clades Occidentis euafuro. Nam hi fuere Vandali, qui ſub ſeculi ſequentis initium conclamatis armis et Noricos et Rhaetos, et Gallias et Hispanias permifcuere, dum demum in Africa ſedes figerent, inde in excidium vrbis Romae venturi.

Sed iam pacata vtcunq; ſub Chriſtiano Principe republica, malum inde prodiit, vnde minime debebat, a Presbytero Alexandrino Ario, qui anno 315. oppugnata diuinitate Chriſti totum orbem permifcuit, propagata breui ad Pannoniam etiam, et Noricum peſtiferi dogmatis contagione. Obſtitere primum anno 325. Patres Nicaenae Synodi ſub alis et praefidio Constantini, ſed in tantum iam inualuerat virus, vt haud diu poſt reſtitutus in locum Arius, pulſus Athanaſius; inter haec ſublato de viuis Constantino Auguſto ad annum 337 malum tanto atrocius recrudeſceret. Constantius alter natus filius, Orientis Auguſtus renunciatus eſt, arianæ hæreſis citra diſſimulationem profeſſor: Conſtans, qui minimus natus erat, Illyricum omne cum Italia et Africa fortitus, fratri per omnia diſſimilis; princeps non orthodoxus modo, ſed Chriſti amore ſummopere addiſtus, ſic vt eius donariis reſertæ eſſent Eccleſiæ, prout de eo ſcribit Athanaſius in Apologia. Quo feliciores ſub eius imperiis agebant No-

rici. Neque degener eatenus Constantinus erat, fratrum senior, cui imperium Occidentis, quod supra Noricum est, obtigerat, ample sane regnatura, nisi plura complexus animo, dum fratrem Constantem bello petit, ductoque e Rhaetia milite Norricum occupat, ingressus Italiam haud procul Aquileia, per insidias caesus interiisset. Hic bipertito iam orbe inter Constantem et Constantium, disparia fuere utriusque studia, ille catholicos, hic arianos tegebat. Iam mali contagio in Pannoniam peruaserat: Valens Mursae episcopus, Ursacius Singidoni, Photinus Sirmii prauum dogma susceperant. Huic vecordiae persanandae convocatum Sardicae concilium anno 347, condemnati, qui a Nicena fide defecerant; usque eo faluis adhuc rebus ecclesiae occidentalis; cum illud funestum interuenit sub anni 350 principium. Magnentius in Gallia tyrannidem inuaserat: sublato e medio Constans, causa adeo catholica grauiissimo vulnere percussa. Constantius enim per autumnum eiusdem anni, tyranno apud Mursiam debellato, superatisque Alpibus Iuliis, quos ille sex castellis infederat, promotus ad Aquileiam, inde in Galliam exercitu, solus iam rerum potitus, obsidentibus aures Valente et Ursacio pseudoepiscopis, de quibus ante memoratum est, excitauit in ecclesia, ut Ammianus scribit, sine L. 21. dis-

diffidia plurima, sic ut cateruis antistitum iumentis publicis vltro citroque discurrentibus per synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariae succideret nervos. Sed hoc quidem rei vehiculariae damnum graue visum ethnico Scriptori, nihili erat ad illam, quae inde manauit, permixtionem reipublicae domi forisque: fiebat enim, ut, qui diuina studebat conuellere, humana omnia sentiret infesta, nihil ei prosperum in bellis contra hostes externos, nihil domi tutum. Cuius insigne documentum

Gallus et Iulianus fuere: vterque Constantini magni fratre genitus, vterque Constantii Sororius, ille primum, hic serius obsequium exuere, verum exitu dispari: Gallus enim (de quo vti disertius dicam, eo moueor, quod eius tragoedia in Norico acta est) Gallus, inquam, post Constantii nuper ex oriente discessum, isthic pro Caesare relictus, paulo post in suspicionem rerum novarum venit. Metuinde suspicacissimi Principis, ne occuparetur, factionem parauit: Sed artibus demum Scudili scutariorum tribuni pellectus Constantio paruit euocanti: properatis itineribus ventum Petobionem oppidum Noricorum (ita diserte Ammianus l. 14.) ibi referatae sunt insidiarum latebrae omnes: palatium, quod extra mu-

ros oppidi erat, armatis omne circumfessum. Barbatio comes ingressus, obscuro iam die, spoliatum regis indumentis tunica textit, et paludamento communi; ac statim carpento priuato impositum ad Istriam duxit prope oppidum Polam, vbi quondam sed causa dissimili peremptus fuerat Constantini filius Crispus: ibi Gallus colligatis manibus in modum latronis ceruice abscissa, securitati Constantii immolatus est. Scudilus tribunus, vt insidiae feliciter euenirent, apud oppidum Petobionem aram statuit, cuius nuncupatio haec erat: PRAESTITI. IOVI. S. TRIB. COH. X. PRAETOR. CVLTOR. NVMINIS. IPSIVS. PROFICISCENS. AD. OPPRIMENDAM. FAC-TIONEM. GALLI. ARAM. ISTAM. POSVIT. Hic intempestiuum studium Principis videas, qui gentiles tribunos etiam in palatio passus consistere, sacra catholica mouere velle sustinuit. Et euaserent ille quidem hunc aemulum: minime tamen euasurus illum alterum, quo de dixi, Iulianum, vt post videbitur, neque aliud merebatur illa in Deum hominem perfidia, quae nullis cladibus fanabatur.

Noricis tanto exitialis pestis incubuit, quo et pastor Aquileiensis, e quo rationes Sacrorum in Norico pendebant, Fortunatianus in transuersum actus est. Iam omnes fere Pannoniarum epi-

scopi, quod Seuerus Sulpitius scribit, in perfidiam Arianorum coniurauerant, conciliabulis apud Sirmium semel iterum ac tertium celebratis. Quo ipso fere tempore sub annum 356. S. Martinus, qui nuper sub signis Constantii militauerat, posito cingulo altiora sectatus, voluntate Hilarii in Pannoniam redux, in patria sua Sabaria versabatur, apostolicum studium in parentibus e gentilitate reuocandis executus. Plures tum ibi suo saluauit exemplo: verba sunt ipsa laudati Sulpitii, qui vitam sanctissimi viri familiaritate cogniti conscripsit: Cum haeresis, inquit, Ariana per totum orbem et maxime circa Illyricum pululasset, cum aduersus perfidiam Sacerdotum solus pene Martinus acerrime pugnaret, multis est affectus suppliciis: nam et publice virgis caesus est, et ad extremum de ciuitate (Sabaria) exire compulsus; ita Pannoniam et Noricum reliquit, non tam haeresi tantum, sed hostili etiam inuasi-  
one turbatum anno 357.

Quadi Pannoniae superiora, finesque Noricos incurfabant; inferiora Sarmatae Lemigantes. Carruntium vetus illa et nobilis Carnorum colonia tunc in squallorem data. Constantius ex Italia per agrum Tridentinum Noricumque rapto milite hostes ille quidem repressit, sed ecclesiis istarum partium tanto nocentior, fatale illud exper-

tus, vt qui perfidus erat in Deum, nihilo fideliores in sese barbaros inueniret: fidem illi dabant, vt improuisi redirent: non aestate, non hyeme securus limes; quo plus negotii datum Constantio apud Sirmium hibernanti anno 358. et 359. vt rigente etiam bruma educto in Valeriam, puta superiorem Pannoniae partem milite per Anatolium Illyrici praefectum Danubii marginem quoquo modo tutaretur. Ibi tum contigit, vt petito Imperatoris colloquio, ac per simulatam modestiam impetrato super aggere apud urbem Acimincum locato, cum ad audiendum assedisset, repente barbarus oratione rupta, calce in tribunal excussa, tantum non opprimeret principem, ludibrio ac periculo prope exanimem. In tantum reuerentia Imperii apud barbaros decesserat. Sed his nihilo emendatus Constantius solenne suum in haeresi modis omnibus propaganda tenuit; coactis apud Ariminum totius prope orbis episcopis eo prope ventum, vt conclamata videretur causa catholica, nisi vigilans ille super ecclesiam suam diuinus oculus, et viros excitasset, insignes, qui se murum opponerent pro domo Dei, et obitu principis haud paulo post secuto consuluisse in medium. Obiit mortem Constantius anno 361. die tertia Nouembris, aemulo imperii iam nuper excitato Iuliano, qui ex Gallia per Rhaetiam et Noricum

ad occupandum orientis imperium aduentabat; eo deterior, quo iam non pro Ario, sed pro diis ipsis gentilium instaurandis explicuit studium. Quam ipsam existimo fuisse causam alienati ab eo Aquileiensem animi, qui ne de fumo scilicet ruerent in flammam, Constantium utcumque prae Iuliano tolerandum putarunt; idque egere tanta fide atque constantia, ut oppugnationem acerrimam propterea sustinerent. Iam emensus Pannoniam cum agmine potiore Iulianus fuerat, cum auditis Aquileiensem studiis Iouinum equitum magistrum qui per alpes Noricosque ductabat, eo flectere imperavit. Deditioe reiecta ventum ad manus. Diffusus est Ammianus in describendis proeliis, quae tum pro muris conferebantur: nihil artium, nihil ferociae omissum ab Iulianis, uti perurperent: nihil contra ab ciuibus, quo inuadentes reprimerent: sed neque pluteis, machinis, scalis, missilibus, neque turribus per Natisonem annum subuectis quidquam profectum: dum demum oppugnatione in obsidionem versa, nunciata subinde mors Constantii, pro quo pugnant, arma dissoluit, in expectationem erectis tum ut maxime christianis, quo demum nefaria noui principis, quae in ipsos coquebat, consilia euaderent: verum ea bello Persico, et ipsius exitio mature extincta sunt anno 363.

Re-

Respirauit inter haec Noricum nostrum sub sanctissimo Aquileiae antistite Valeriano, qui Fortunatiano ariano suffectus labem praeteriti temporis confestim absterfit: cuius studiis velificatus etiam est, Valentinianus Augustus, fratri Valenti, qui orientem cum Arianis secta tenebat, ex affe dissimilis, ut qui nuper sub Iuliano ob christianae studium religionis etiam exilium sustinuerat. Anno 364 ad summam potestatem venit, post Iouianum breuissimo imperio defunctum. Et hic et Valentinianus Pannonii fuere, quo maior huius in solo patrio a barbaris defendendo cura. Exstat monumentum in legum codice, quo proditur aliquando apud Arelapen, Norici Ripensis oppidum versatus, isthic iura dictasse. Religionem quoque castam restituere aggressus Illyrici episcopis copiam dedit, ut synodo sub annum 374. collecta Nicena rursus fides intacta sanciretur. Sed cura praecipua in firmando Norici et Pannoniae limite: munimenta et arces excitatae in ipso etiam trans Danubium barbaro solo. Quod cum illi ferrent indigne (Quadi erant, caede etiam sui principis Gabinii irritati) transceso Danubio Pannoniam late vastarunt, penetrata etiam Valeria prouincia Norico proxima, pulsoque Equitio duce legiones duas Pannonicam et Maesiacam deleuerunt, Noricis haud dubie easdem tum clades



des expertis. Accurrit his auditis ab Rheno Valentinianus, et apud Carruntum, desertum quidem tunc et squalens, metatus castra terrorem hostibus vastitatemque reddidit, actisque subinde apud Sabariam hibernis ibidem extinctus est anno 375 vergente. Tum occidens rursus diuisus bifariam in Valentiniani filios Gratianum et Valerianum iuniorem dictum; huic Illyricum cum Italia, Gratiano reliqua trans alpes obuenerunt, simul et procuratio fratris quadrimi: quod tum maxime necesse erat ob pestem atrocem in has prouincias comparatam. Hunni erant e desertis Scythicis ad Austrum delati sub ipsum Valentiniani senioris excessum, hi postquam Gothos et Gepidas oppressere, occupata Dacia limitem etiam Pannonicum pulsare coeperunt. Annus erat a nato redemptore 379, quo Hunni, quos dixi, Alanis in societatem adscitis, cum Quadis item et Marcomannis, praeterea Sarmatis, et quidquid erat gentium vlteriorum regionem omnem inter Constantinopolim et alpes Iulias peruastarunt: matronae, virgines et quidquid est ingenuorum et nobilium corporum ludibrio habiti, capti episcopi, interfecti presbyteri et clerici, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effosae reliquiae, vbique luctus, vbique gemitus, et plurima mortis imago: quae ipsa relatio lamentantis est Hiero-

nymi Ep. 3. ad Heliodor. ex quo et intelligimus viginti et amplius annis, quo tempore haec scribebat, hanc stragem durasse; quin constat, annos etiam quinquaginta iugum Hunnicum, Gothico mixtum hisce regionibus incubasse. Borealia Pannoniae Noricique, quae ad laeuam Draui fluminis erat, Hunni premebant; Gothi per inferiora tendentes Stridonem, et Petouionem vrbes ceperunt proditione Iuliani Valentis Ariani, qui Sancto viro Marco admirabilis memoriae sacerdoti superpositus fuerat, sed deformiter eiectus a plebe, prodidisse urbem creditus est: ob id euocatus Aquileiam ad sacerdotale concilium, vt euersae patriae perditorumque ciuium causas sacerdotibus praestaret; id quod in actis eius concilii anno 381 celebrati totidem verbis narratur. Declinavit Iulianus ille patrum iudicium, et post euersionem patriae Mediolani delituit. Quo de ipso tempore scribens ad Gratianum Ambrosius: Omnem, inquit, Valeriam, Pannoniorum totum illum limitem sacrilegis pariter et barbaris vocibus audiuius inhorrentem, quibus excitatus Gratianus Theodosium post interitum patruum Valentis in societatem imperii assumpsit anno 379. Licuit in hoc turbido sectariis Arianis, quorum adhuc sentina restabat, in apertum prodire: Palladius et Secundianus Maesiae episcopi cum Photi-

tinianorum reliquiis negotium Ambrosio faceſſe-  
bant, qui ceu Primas praefecturae Italiae, ad  
quam etiam Illyricum occidentale anno 379 ab  
orientali ſeparatum accenſebatur, concilium pri-  
mo Sirmii ad annum 380, annoque poſtero apud  
Aquileiam coegit, in quibus praecipue contra id  
genus faeces pugnatum, nouisque decretis Ni-  
caena fides ſtatuta. Id bona Gothorum venia fieri  
iam poterat; vti quos Romani ſibi conciliatos  
Hunnis obiecerant, parte agri Pannonici Norici-  
que conceſſa. Sed mox ab occidente nouus turbo  
deſauiit: anno 383 Gratianus Auguſtus in Gal-  
lia deſertus ab ſuis, a Maximo, qui fauentibus  
Britannicis legionibus imperium arripuerat, occi-  
ſus, nouo bello apud Noricos materiam praebuit.  
Maximus de purpura, quam per ſcelus inuaſerat,  
minime ſecurus, metuensque inprimis Theodoſi-  
um vindicem, expedierat arma, pulſoque ex Ita-  
lia Valentiniano-Gratiani fratre Italiam Noricum-  
que occupauit: diuiſis inde agminibus Siſciam,  
Petouium, Hernionamque ad pedem alpium Iuli-  
arum inſedit. Agebantur haec aeſtate anni 388.  
Theodoſius Pannoniam Sauiam emenſus, deuiſto  
primum apud Siſciam legato tyranni Andragatis,  
inde Petouii Marcellino eius fratre. Hemonam ſpon-  
te dedita, receptoque in fidem, qui ſigna proie-  
cerat, milite reliquo, ſuperatis alpibus profugum  
et

et amentem tertio ab Aquileia milliari sub finem  
Iulii mensis extinxit. Valentinianus in sua repo-  
situs illud egregium Theodosii consilio praestitit,  
quod idolorum cultum, sacrificia et victimas et  
templorum ingressum data lege proscripsit: id et  
reipublicae magnopere intererat, quam inter ido-  
la non posse tranquillam saluamque consistere tot  
iam seculis, recentibusque adeo periculis erat  
compertum. Quod Valentinianus in occidente,  
hoc et in oriente Theodosius praestitit.

Refert hic strictim intelligere, quaenam fue-  
rit sentina caeremoniarum gentilium, quoue pa-  
cto in ea exhaurienda principes religiosissimi pro-  
efferint. Alia ad cultum spectabant publicum,  
ad priuatum alia: ita Pagius Crit. an. 392. n. XI.  
et XII. In publicis erant templa, arae, statuae,  
sacrificia, thuris incensio, apparatus, et orna-  
menta. Priuata et secreta fuere intra domos et  
familias, vbi Larem igne, mero Genium, Pena-  
tes nidore venerabantur: accendebant lumina,  
imponebant thura, suspendebant ferta, spirantia  
consulebant animalium exta, redimibant arbores  
vittis, effossisque cespitibus erigebant aras, in  
quibus vanas imagines honorabant. Vbi autem  
christiana religio in Constantino eluctata rerum  
coepit potiri, primum quidem circa sacra gentili-  
um initia motum; solum christianis concessa li-  
ber-

libertas: sub Constantio Deorum cultus publicus  
urbibus pulsus, in pagis permiffus; unde et pa-  
gani dicti. Sub Iuliano caput rursus erexit ido-  
latria. Valentinianus Senior exemplum Con-  
stantini fequutus est, libertatem omnibus indul-  
gendo. Demum Valentinianus iunior et Theodo-  
sius fabulam peregerunt, primum interdicens  
sacrificia; inde detractis quae supererant, tem-  
plorum ornamentis, aditum omnem ad ea prohi-  
bendo, tum et templa ipsa diruendo, illa etiam,  
quae in pagis seu agris erant: ad extremum cul-  
tus etiam secretos et familiares proscribendo. Ita  
inferiae idololatriae cantatae. Tunc itaque tem-  
plum Solis Mythrae apud Flauium Soluense euer-  
sum vel oclusum: et aliud apud Rayandonem  
haud procul Celeia, quod *Aurelius quidam Iustini-  
anus V. P. dux labefactatum restituerat*, vt habet ve-  
tus inscriptio: et illud *Herculi inuisito sacrum*, quod  
*G. Donnicius Rufinus et Valeria Atica cum suis vetu-  
state collapsum restituerant ex voto*, haud procul vr-  
be Tiburnia; tunc obiecta et dissipata statua Mar-  
tis apud Celeiam, quam venerari Maximilianus  
ab Euilasio praefide iuebatur: illa marmora *Se-  
rapi et Isidi pro salute Seueri et Alexandri* apud Peto-  
uionem *ex voto posita*: et illa *Victoriae Noricae*, et  
illa *Herculi et Eponae*, et quae *Genio Noricorum*,  
quaeque nuper Ioui praestiti, et alia sexcenta

profanae superstitionis monimenta apud Noricos  
extiterant, pessundata sunt omnia. Verum hic  
ipse renouandi imperii fundandaeque religionis  
ardor Valentiniano iuueni accelerauit interitum.  
Vix enim Theodosius ex Italia, vbi triennio fer-  
me constiterat, Constantinopolim rediit anno  
391 vergente, Valentinianus obsessus legationi-  
bus gentilium vetera sacra sibi restitui poscenti-  
um, cum repulsam auferrent, gliscente interea  
per Gallias factione Eugenii, Viennae Allobro-  
gum in palatio praefocatus repertus est anno 392  
idibus Maii. Tam rursus conclamatum ad arma,  
quorum iterato arena apud Noricos fuit. Occu-  
patae per Eugenium alpes Iapidiae, teste Sozo-  
meno, medioque Burni saltu vallum muro con-  
structum: Deorum statuis tanquam belli auspici-  
bus et alpes et signa militaria praefulgebant. Ist-  
hic igitur expectatus Theodosius, qui se ad affe-  
rendum denuo occidentem, vltionemque augusti  
sanguinis copioso delectu etiam e Gothis et Alanis  
habito succinxerat: duobus filiis Arcadio et Ho-  
norio in vrbe Constantinopoli relictis paruo tem-  
pore cum manu maxima venit ad Gallias: illic  
enim parabant bellum: haec ipsa sunt Socratis  
historici de hac expeditione verba; vbi quas de-  
mum Gallias intelligat, ex iis, quae mox subiicit,  
agnoscitur: Fit ergo congressio inquit circa fluui-  
um

um vocabulo *frigidum*, puta Vipacum, qui ad radices earum, quas dixi, alpium scaturit. Iam custodiis alpium disiectis valloque superato pugnatum restabat de summa. Noctem, quae proelium antecesserat, placando Numini Theodosius dedit, ubi viso caelesti recreatum ferunt: viros enim duos amictu candido equis albis inuectos per somnum vidisse, quorum alteri Iōanni baptistae, Philippo alteri apostolo nomen; ab his animatum, uti proelium strenue capefferet, se ei missos subsidio, ita Theodoretus l. 5. c. 24. Ut primum diluxit, itum in hostes, cumque acerrime dimicaretur, ingenti factum prodigio, ut quidquid ab hostibus iaceretur telorum, coorto repente turbine in eosdem reuolueretur, oculis etiam procella confusis; quo stupefactus tyranni miles pars caesi, pars ad signa victoris transiere, victo ac mox necato Eugenio. Res gesta die sexto Septembris anno 324 miraculo tanto compertiore, quo et ab ipsis ethnicis confessionem et applausum promeruit, accinente cum primis tuba Claudiani, cuius carmen eo propensius adfero, quo et apparatus et locum et acta proelii distincte narrat. Pugnantis vterque, inquit ad Honorium: de tertio Consulatu Honorii Aug. v. 89.

Tu fatis, genitorque manu; te propter et alpes

Inuadit faciles ; cauto nec profuit hosti  
Munitis haesisse locis ; spes irrita valli  
Concidit, et scopulis patuerunt claustra reuulsis.  
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis  
Obruit aduersas acies, reuolutaque tela  
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.  
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris  
Aeolus armatas hyemes, cui militat aether,  
Et coniurati veniunt ad classica venti.  
Alpinae rubuere niues, et frigidus annis  
Mutatis fumauit aquis, turbaque cadentum  
Staret, ni rapidus iuuiisset flumina sanguis.

Bello extincto Theodosius Honorio filio ex oriente euocato imperium occidentis tradidit, attributo Stilicone consiliorum et armorum moderatore. Nec diu fuit, cum et Theodosius vitam posuit Mediolani die XVI. Kal. Februarii anno 395, vir, cui et imperium et imprimis res christiana debebat plurimum, hoc magis, quod totus ex Ambrosii pendeat consiliis, quem vnum maxime et ipse, et orbis omnis reuerebatur, ad barbaros etiam vulgata sanctissimi viri fama. Frigidis erat Marcomannorum regina, quae per virum quemdam christianum ex Italia isthuc ap- pulsum audita Ambrosii fama in Christum credidit, missisque ad eum literis instrui petiit; ad eam ille praeclaram rescripsit epistolam in modum ca-



techismi, in qua etiam admonet, vt suaderet viro pacem cum Romanis seruare: id illa haud segnius, quam rogabatur, fecit, eoque virum adduxit, vt se cum populo Romanis traderet: neque eo contenta, Mediolanum etiam ipsa contendit sancti doctoris visendi desiderio: quo acerbius doluit, eo iam non inter mortales inuento, quae eadem omnino sententia narrat Paulinus in vita Sancti Ambrosii, tanto certiore rerum ita gestarum epocha, quo exploratus est annus obitus 397 dies quarta Aprilis. Virum scriptores Reginae domestici Rosmundum appellant, haud dubie cum obsequio Romano etiam sacra christiana professum. Neque ea noua erant in illo populo, quando iam Tertullianus ad sua tempora Romanis obiecit, Marcomannorum christianorum auxilia non defutura, si non apud istam disciplinam magis occidi liberet quam occidere. Scriptores patrii de episcopatibus etiam apud eam gentem tunc erectis loquuntur, quod eatenus certe valet, ecclesias isthic et Sacerdotes constitutos, qui sancte coepta et promouerent et tuerentur. Sed in reliquum, num sedes episcopales ordine institutae, qui loci sedium, qui episcopi; in obscuro sunt omnia; quando nec illud definite scitur, vbinam locorum tunc Marcomanni habitarent: Marcomannos cum Hermunduris in Nori-

eum et Vindeliciam (Boiorum agrum) transisse Suidas in Lexico auctor est. Ceterum in fide constitisse exinde Marcomannos fortassis ex eo arguitur, quod in ea gentium colluie, quae paulo post in imperium occidentale effusa est, cum populi tot alii ab Hieronymo nominentur, nulla sit mentio Marcomannorum, nisi eos sub appellationem Quadorum referas, quibus haud dubie constat fuisse permixtos. Id ut sit, etsi demus, plures Marcomannorum in Christi verba iurasse, ecquis tamen id de omnibus existimet? Sed neque, si ita etiam esset, continuo statuas, adeo fuisse religiosos, ut non turbam secuti ad spolia etiam ipsi conuolarint; quando et Pannonios dudum in christiano cultu enutritos idem tamen doctor in eum gregem adnumerat. Innumerabiles, inquit; Epist. ad Geront. et ferocissimae nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenaeum est, quod oceano et Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, et o lugenda respublica! hostes Pannonii vastarunt. Olim a mari pontico vsque ad alpes Iulias, quae erant nostra, non nostra sunt, et per annos triginta fracto Danubii limite, in medijs Romani imperii regionibus pugnatur: quod non culpa Principum, qui religiosissimi sunt, sed sce-

Iere semibarbari accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armavit inimicos. Annos triginta, quos Hieronymus numerat, ab anno 379 petat, necesse est: tum enim Hunni et Gothi per rupto Danubii limite stationem in Pannonia, et pars in Norico fixerunt: neque ea de semibarbaro illo proditore puta Stilicone, scribere fuisset ausus Hieronymus, si is fuisset in viuis: occisus est anno 408. Sub eum igitur annum exarata fuit, quam retuli, epistola ad Gerontium, quo ipso adhuc tempore Galliae vastitas durabat, occupata anno 405, quando Wandali instinctu, ut creditur Stiliconis, qui et ipse genere Wandalus erat, ex Pannonia, quam permissu Constantini colendam acceperant, correptis vasibus et armis, expeditionem in occidentem mouerunt, ad ultimam eius anni diem Rheno flumine transito; in societatem adscitis illis ipsis, quos hic descriptos vidimus. Nulli in iis computantur Gothi, Hunni nulli, sed hi quidem agros in Pannoniae tueri satis habuere: Gothi Noricum possidebant, Italianam animo complexi; ipso anno quadringentesimo Alarico duce sustulerant signa: sed tum quidem a Stilicone coerciti induciis cum Honorio pactis rediere, repositis in aliud tempus consiliis: quod non aequè probatum Radagaifo utidem Gotho.

Hic anno 404 tractis in sententiam Gothis aliis, manuque vnde vnde collecta agmen ducentorum, vel vt Sozimus scribit, quadringentorum millium confecerat, fortunam et ipse in Italia tentaturus per Noricos mouit; sed ab Stilicone in Tuscia conclusus, coepti inconsulti poenas exitio dedit anno 405, quo ipso tempestas illa Wandalorum in Gallias coorta est, de qua supra memoratum. Hos sibi gradus Stilico ad imperium sternebat: prouocabat barbaros, vt angustiis adactum Honorium, cuius alioqui affinitate tumebat, ad deferendum filio suo Eucherio nomen caesareum perpelleret; sed artibus demum agnitis anno 408 die 23 Augusti perfidiam luit: cuius adeo nece cognita Alaricus ceu amisso rerum suarum fulcro legatos ad Honorium mittit, pecuniam modicam, pacem, et obsides poscit; tum copias e Norico, et Italiae finibus in Pannoniam abducturum recipit. Sed cum repulsam ferret, tanto acrior insurrexit, vocatoque in Societatem Ataulfo focero, qui in Pannonia superiore Hunnorum Gothorumque copias haud aspernandas ductabat, Romam continuato cursu contendit, obsessaque vrbe, tunc quidem oppugnationem pecunia redimi passus; cum agitaretur de pace Alaricus ea lege acquiescit, si sibi ambae Noricorum ad superiores Danubii partes sitae trade-

rentur prouinciae, quae alioqui continuis barbarorum incursionibus vexentur, tenueque fisco tributum inferant: quae Zosimus Libro quinto memorat.

Petebat itaque geminum Noricum, mediterraneum scilicet et Ripense, prouincias alioqui parum Romanis vtilēs, quippe assiduis barbarorum incursionibus exhaustas. Quae conditio cum Honorio non arrideret, resumta sunt arma, expugnata Roma atque direpta. Cumque vltro tenderet Alaricus, in Siciliam et inde in Africam transiturus, occupatus est morte anno 411. summa rerum Ataulpto relicta, qui relegens iter, Romaque denuo peruaftata, omisso Norico in Galliam flexit, ibique regnum Visigothorum constituit: quo adeo Norici in praesens Gothorum iugo liberati sunt. Haerebant tamen in latere Hunni, qui adhuc Pannoniam vna cum Gepidis retinebant, Annos iam quinquaginta regnum in Pannonia exercuerant, cum demum Ostrogothorum auxilio sub annum 428 inde eiekti sunt.

Natio Gothica diuifa bifariam erat; cum adhuc Daciam obtinerent, alii, qui ad ortum habitabant, Ostrogothi dicti sunt, qui ad occasum, Vesogothi: istorum populus nuper Alarico duce in Italiam profecti, iam nunc in Gallia ditionem tenebant; Ostrogothis in Maesia restantibus, qui

hoc tempore in stipendia Romanorum contra  
Hunnos assumti sunt; sed et ipsi post annos in  
Norico et Italia dominaturi. Caeteram Hunnis  
expulsis restitutus de integro Danubianus limes  
praesidiis militaribus per oras dispositis, quae ta-  
men cum subinde segnius administrantur, Hun-  
ni denuo regressi sunt, regemque in Pannonia ha-  
buere Rugilam, cui ad annum 434 Attila succes-  
sit, non Noricis modo, sed orbi terrarum ingen-  
tes clades daturus. Iam quidquid erat gentium  
per Daciam, per Illyricum, Gothos, Gepidas,  
Scyros, Rugos in ditionem aut foedus adegerat,  
Noricum occupauerat, inde in Burgundiam anno  
436 mouens, eorum regem protriuerat, postre-  
mo et Bledam fratrem regni socium interemit  
anno 444, augmentum virium, vt ait Iornandes,  
parricidio quaerens: itaque monarchiam adeptus  
Hunorum, imperium occidentis occupare sta-  
tuit. Contra tam immanem quid foemina pote-  
rat? Plaudia erat Augusta, quae cum filio Va-  
lentiniano puero rerum habenas in occidente tra-  
ctabat. Anno 451 immensa suorum sociorumque  
acie, in qua turba regum, vt Iornandes loqui-  
tur, aderat, in Gallias mouit: ibi grande illud  
commisam cum Aetio proelium, quo magna exer-  
citus parte multatus abcessit. Sed mox anno con-  
secuto, redintegratis viribus arma vertit, in Ita-  
li-

liam; tumque adeo celebris illa contigit Aquile-  
iae obsidio, quam, qui triennio durasse scribunt,  
nescio, vnde demum spatium illud temporis con-  
ficiant: nisi illud dicant, manu ex Noricis huc  
immiffa, dum alibi de summa decernitur, lentum  
hactenus agitatum obsidium. Illud memoriae pro-  
ditum est, insignem et fidem et robur ab ciuibus  
illis praestitum in tantum, vt iam rebus diffidens  
Attila coeptum omittere constitueret; cum capto  
ex ciconiis augurio, quos viderat vrbe deserta  
alio demigrare, instaurarit impetum, murisque  
transcensis victoria potitus vsque eo faeuierit, vix  
vt eius vestigia Iornande teste reliquerit. Baccha-  
tus inde per Italiam, perque strages urbium cum  
Romam ferretur, Leone pontifice occurfante pla-  
catus ad sua rediit nihil vltra gesturus, prohiben-  
te, qua anno postero oppressus est, morte.

Inde res in totum conuersae, dissidentibus  
inter se Attilae filiis, quorum populus erat. Ea  
occafio Gothis et Gepidis, aliisque data vindican-  
di se in libertatem. Pugnatum in Pannonia apud  
Netodum fluuium: triginta Hunnorum millibus  
occisis, reliqui ad litus vsque maris Pontici ex-  
turbati, sede ibi posita, quam Iornandes ait ap-  
pellatam *Hunniuar*, voce indubitanter hungarica;  
vt adeo audiendi non sint, qui Hunnos volunt ge-  
neris fuisse Slaui. Ita finis in praesens Hunnico  
regno

regno datus. Gepidae, qui praecipuum in proelio nauauerant operam sub Ardarico rege, Daciam, partemque Maesiae habitandam legere: Gothis Marcianus orientis Augustus Pannoniam concessit. Tres erant fratres Valemirus Theodemirus, et Videmirus, qui ipsi quondam in exercitu Attilae ante ceteros eminuerant: hi sedes pannonicas inter se partiti: Theodemirus iuxta lacum Peisonem, Valemirus apud Scarniungam fluuium, nescio quem, certe haud procul ab amne Drauo: Videmirus inter vtrumque medius. Rugi, Scyri, Heruli antiquas Marcomannorum et Quadorum sedes trans Danubium ex aduerso, Norici Ripensis obtinuerunt. Noricum ipsum denuo barbaris expurgatum ad Romanos rediit sub Auito occidentis Augusto, qui Valentiniano tertio ad annum 455 interfecto successerat, successorem post biennium habiturus Maiorianum: sub quibus limes Noricus vtcunque custodiebatur: publicis enim stipendiis milites pro custodia limitis alebantur. Ea rabies erat gentium borealium, quae nullas indulgeret ferias; neque pene castellum esset vllum ad ripam Danubii, quod non assiduis quateretur incurfibus.

Neque melior admodum conditio Norici mediterranei fuit. Accesserat ea tempestate Noricis insigne praesidium in Sancto Seuerino, qui vir tanta celebrabatur opinione sanctitatis, quod Eu-  
gip-



gippius eius discipulus testatum facit, vt certatim eum ad se castella singula pro suis munitionibus inuitarent, credentes, quod eius praesentia nihil eis aduersi eueniret. Attila demortuo huc locorum ex oriente aduenerat vitam professus monasticam, dissimulata per modestiam nobilitate senatoria, qua passim credebatur ortus esse. Institutum apostolicum apud Noricos aggressus cladibus publicis solerter vsus est ad hortamenta poenitentiae. Noricum imprimis Ripense concursabat erectis per varia loca pluribus monasteriis: prodigiis ad haec ingentibus, ac spiritu prophético inclaruit, barbaris ipsis regibus venerandus: quorum ille gratia in tantum vsus fuit, vt eos aut ab inferendis cladibus auerteret, aut ad captiuos, quorum greges nonnunquam abripiebantur, dimittendos adduceret. Hic vero natus vberem charitatis materiam alendi vestiendique eos, qui rerum omnium nudi a barbaris redibant: neque sanctis eius studiis defuere ciues interioris Norici, collatis frugum decimis et vestibus eum strenue adiuuere: et ipse eos per literas et nuncios ad id agendum identidem hortabatur. Sed egregia plane sunt haec ipsa Seuerini acta ad cognoscendum id temporis statum in vtroque Norico, quae nunc intelligere non pigebit.

Inprimis auctor in ipso Norico facit discrimen: alterum enim, in quo vir ille Sanctus versatus est, Noricum Ripense vocat; alterum vero Noricum simpliciter et sine addito, quod et in Plinio dudum obseruatum, dum volens recensere oppida Norici, ea recenset vnice, quae sunt in mediterraneis. Deinde ex his ipsis Seuerinianis actis rescitur, quae fuerit hoc quinto seculo Norici ita simpliciter dicti, puta mediterranei metropolis: ea diserte nominatur Tiburnia: indidemque discitur eam urbem episcopalem fuisse: habuisse id temporis ante annum 470 et deinceps Paulinum antistitem, virum sanctum, quantumlibet inuitum a ciuibus eius urbis ad fumendam dignitatem adactum. Praeter hunc in eadem vita nominantur Norici Ripensis episcopi Constantius Laureacensis, magna et ipse sanctimoniae fama: alter episcopus Fauianae, alias Vindobonae Mamertinus, ex tribuno militum ad tiaram euectus: rursus alius episcopus Rhaetiarum Patuientibus designatus Valentinus, qui iam ante Seuerini ad Noricos aduentum apostolatam illic exercuerat. Praeterea documento sunt haec acta de integritate religionis orthodoxae per vtrumque Noricum: ecclesias suis instructas pastoribus, presbyteris, diaconis, subdiaconis: in iisdem ecclesiis consuetas adhuc fuisse nocturnas vigilias,

solita recitari psalteriu, reliquias Sanctorum magno in precio habitas, et huiusmodi de verae ecclesiae more; Solitas item fuisse comprecationes triduanas, triduana ieiunia ad auertendas clades publicas, collationes item in alimoniam pauperum. Et vero maximum catholicae veritatis his in terris decus et auctoramentum tunc erat sanctitas Severini et miracula ingentia, quae prope modum in potestate habebat. Ea copiose narrat auctor, aegritudines depulsas, mortuum suscitatum, cereos citra vllum fomitem accensos, inundationem signo crucis in tabula descripto coercitam, oleum mirabiliter adauctum, hostes citra noxam leui manu et inermi abactos, locustas depulsas, sterilitatem auersam, et talia: tum et praedictiones admirandas futurorum euentuum, denunciationes rerum absentium, cognitiones secretorum: ob quae et similia plurima maximis sane thaumaturgis adnumerandus venit. Vnum legitur extitisse gentilitatis fermentum in oppido Cucullis, vulgo Cuchl, quod hodie in prouincia Salisburgensi est: fuere ibi quidam, qui sacrificium nefandum fecerant: verum et hi Sancti viri studio ac scilicet ingenti prodigio; quod cerei ab insontibus allati flammam conceperant, marcantibus aliis; ita scelere prodito ad frugem rediere. Et haec ad sacrum Norici statum pertinent.

Quae

Quae vero ciuilibus historiae et ea praeclara sunt  
ex his actis discenda. Primum quidem, quo  
tempore Seuerinus huc appulit, profligatis Atti-  
lae filiis in Pannonia inferiore sedisse Gothos :  
trans Danubium Rugos et Herulos : Noricum  
tamen ipsum, et Pannoniam superiorem fuisse in  
Romanorum potestate : affirmat enim castella om-  
nia praesidiis fuisse militaribus instructa : tribu-  
num militum Fauianae fuisse, oppido superioris  
Pannoniae Mamertinum ; postmodum autem omis-  
sis stipendiis militares etiam turmas esse dele-  
tas : inde insultus hostium impune factos : Pan-  
noniae superioris et Norici partem Ripensis cor-  
ripuere Rugi sub Flaccitheo rege, Alemanni as-  
sidui Rhaetiarum et superioris Norici raptatores :  
ciues oppidorum Patauiae, Laureaci aliorumque  
per eos aut fugati aut enecti, aut in captiuita-  
tem abducti ; quin eo se Alemannorum feritas  
effudit, vt Noricum etiam mediterraneum per-  
uastantes vniuersum, ad ipsam penetrarent Dal-  
matiam, cuius tunc fines ad Drauum vsque flu-  
uium porrigebantur.

Id gestum circa annum 470, vt ex Iornan-  
de colligitur ; qui et refert, eos cum praeda re-  
duces cum per Pannoniam facerent iter, a Go-  
this multatos, spoliisque exutos : ex quo inde  
per triennium atrox bellum exarserit : cum iam

Ale-

Alemanni in Gothos, iam hi in illos ingenti  
emenso vltro citroque spatio mouerent, cladibus  
inter haec assiduis ad Noricos pertinentibus. Vbi  
memorable est, quod notat auctor, in esuione  
illa Alemanica castella omnia, quae triduo se  
ieiunio expiauerant, cladem euasisse; id vt fieret  
Paulinum episcopum ab Seuerino admonitum per  
omnem dioecesin accurasse. Demum anno 473  
vel consecuto Gothi Pannonici sublati signis pars  
ad orientem, pars in Italiam se abtulere. Tum  
contigit, quod itidem vnice ex actis Seuerinianis  
discimus, obsidio Tiburniae.

Videmus Gothorum rex isthac ducebat,  
in Italiam, vt dixi, tendens: loca omnia, vt  
istorum mos erat, expilationibus hauriebantur.  
Tiburnienses defensionem susceperant, vario, vt  
auctor scribit, cum obsidentibus certamine dimi-  
cabatur; cum demum pacto foedere et largitioni-  
bus clades auersa. Magna vim frugum ac vesti-  
um ante collegerant, Seuerino in vsum paupe-  
rum pro more transmittendam; fecerantque ea  
in re moram, quam superuenientibus interim ho-  
stibus luere coacti sunt, omnem eam copiam ad  
emendam pacem expendere compulsi. Hoc do-  
cumento fuit, vt in eo charitatis obsequio deinceps  
non tardarent; nec id actum sine prodigio.  
Maximus quidam erat Noricensis (ita scriptor

vocat) id est Norici interioris seu mediterranei  
ciuis: hi fidei calore succensus conductis focis  
bene numerosis, media hyeme, vestimenta mag-  
no numero collecta ad Seuerinum deportanda su-  
sceperat. Ventum ad montana: ibi niuibus ob-  
ruti, nullo subueniente remedio, salutem iam  
desperauerant. Protecti tantisper erant arborum  
vallo: ibi consopito ductori comitum effigies Se-  
uerini apparuit, ad iter alacriter prosequendum  
adhortans: quo animatis, iterque per vias niue  
confusas coeptantibus, ingentis corporis vrsus,  
cui generi mos est alias hyeme speluncis abdi, e  
latere veniens ducem se praebuit, duodecim fe-  
re passuum millia ante eos iugiter directo calle  
per eam eremi vastitatem gradiens, quoad vsque  
ad hominum habitacula peruentum: ibi officio  
velut expleto in partem diuertit. Rem prodi-  
giosam, vt erat, et nouam sancto abbati se rela-  
turos baiuli illi putabant; cum ecce nunciato vt  
primum ipforum aduentu, mox ille, ingredian-  
tur, inquit, quibus viam, qua venirent, vrsus  
aperuit. Res vsquequaque et euentu et prae-  
scitu mira in exantlando Dei opere nihil exti-  
mescendum docuit. Ceterum pietatis Noricorum  
id temporis exemplum insigne; sed tunc passim  
vrsitatum; certantibus inter se oppidanis, vt de  
paupertino etiam penu miserorum inopiae grati-  
fica-

ficarentur. Et erant profecto calamitates illae  
affiduum virtutum, piorumque operum gymnasi-  
um: in quo tanto afflictiores erant Norici Ripen-  
ses, apud quos desertis et fundis et Laribus vi-  
ta inops et vda pro lucro erat, squalentibus pas-  
sim et in solitudinem redactis oppidis, aut si quae  
restabant, mancipatu barbaro oppressis. Iuua-  
nium ad alpes submotum paulo diutius constite-  
rat; sed et hoc suo fato perfunctum sub annum  
475.

Odoacer Herulorum, Furlingorum, Scy-  
rorum iuxta Rugos habitantium dux, eo quo  
dixi, anno in Italiam Romanis militaturus abiit.  
Iter inter strages egit: hanc et experta tunc Iu-  
uauia, cuius incolae licet ab Seuerino enixe prae-  
moniti, amore penatium fugam omiserant. Ferro  
et suppliciis omnes hausti, coloniam illam per-  
celebrem vna secum tumularunt; in rudera inde  
dissolutam ad multas aetates, dum annis demum  
abhinc ducentis Diui Ruperti auspiciis de integro  
surrexit sub nomine Salisburgi; sed interim post  
excidium illud Iuuauiae magna reipublicae facta  
conuersio.

Imperium occidentale suis adhuc Augustis  
vteunque durauerat. Post Maiorianum Seue-  
rus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Iulius  
Nepos id nomen gesserant: successit Romulus

Momyllus, quem et Augustulum appellarunt, Orestis filius: apud hunc Odoacer magistratum obtinebat militiae: Barbari, qui potissimam exercitus Romani partem explebant, cum a Romanis agrum, quem petebant, non obtinerent, Odoacrum conspiratione regem salutarunt anno 476. Hic ocyus redacto in ordinem Momyllo summam rerum assumpsit, non iam Augusti, sed regis duntaxat nomine moderator occidentis, cui proinde et Norici obsequium detulere. Singulare de eo narrat auctor Seuerinianns, ex quo et intelligi potest, quam omnia in humanis superne agitentur consilio.

Cum in Italiam Odoacer iter ornaret, ad Sanctum abbatem Seuerinum diuertit: tanta erat eius etiam apud barbaros fama. Vilem attulerat amictum; sed spectabilis iuueni proceritas, et excedens humilitatem cellulae: quo cum cernuus cogeretur ingredi, festium his, qui aderant, spectaculum praebebat. Finito colloquio valefacientem abbas hoc oraculo profecutus est: Vade, inquit, ad Italiam, vade vilissimis nunc pelibus coopertus, sed multis cito plurima largiturus. Quo non obscure id, quod paulo post euenit, regnum vaticinatus est. Neque eius carminis immemor Odoacer iam rex humanissimis inde literis officia sua Seuerino detulit; exple-

tu-



turus subinde et alteram praefagii partem, quod de ipso Sanctus abbas cantabat. Cum enim de rebus Odoacri fereretur apud eum sermo, sanctus in se collectus hoc paucis subinferebat: Odoacer integer inter tredecim et quatuordecim annos; eius exitum ipsos, quibus cum loquebatur, non se visurum. Haec de spatio regni eius dicta fuisse eo tempore patuit, quo post annos tredecim, nempe anno 489 Theodericus Theodemiri Gothi filius Odoacrum bello petatum haud reliquit eum diutius integrum esse, nec diu post regno et vita exutum, a pluribus iam annis translato ad superos Seuerino; obiit enim anno 482, die ianuarii mensis octaua, quem ipsum excessus sui diem et annum iam ante biennium Lucillo senecioni presbytero diserte denunciauerat, stupente eo, qui non dubitauerat, se ob grauem aetatem sancto viro praemortuum. Venerandum corpus in monasterio Fauianensi humatum, post sexennium in communi illa Norici Ripensis vastitate per Odoacrum instituta refossam, in Italiam deportatum est.

Memorable fuit inter res Odoacri gestas bellum in Rugos, quo eorum regnum extinxit; praeterea vastitas illa, quam dixi, solitudoque, quam in Noricum inuexit Ripense abductis inde, quidquid erat Romanorum ciuium. Vtrumque

ea causa contigit, quam nunc dicam. Flaccitheus Rugorum rex et si Arianus, commodus tamen cetera princeps, ut qui consiliis auctoritatisque Severini plurimum tribueret, regnum contra Gothos ex inferiore Pannonia irruentes utcumque sustinuerat: is paulo post emigrationem Gothorum rebus humanis excessit, relictis filiis Feletheo, (quem et Febanum et Fauam appellarunt) nec non Friderico, cui in herciscunda toparchia cis Danubium Fauianensis, nuper erepta Romanis obtigerat. Huius frater Feletheus filium habebat itidem Fridericum ex Gisa coniuge, foemina pestifera, quae Arianæ sectae perditæ dedita, marito Ariano multorum in catholicos malorum extiterat auctor; ob hæc triste sæpe carmen futuri exitii ab Severino audire promerita. Inter hos duos Fridericos, patrum et nepotem acre gliscebatur dissidium. Decreta erat coelitus poena in Fridericum patrum Fauianæ toparcham, quam et Severinus moriens ei fuerat grauissime comminatus, ob expilationem monasterii Fauianensis post obitum sancti viri. Occisus est a nepote Friderico. Eam caedem, quod instinctu parentum videretur facta, Odoacer nescio qua necessitudine cum coeso coniunctus vlcisci instituit, foedus etiam credo Rugorum cum Alemannis, et herbescens inde malum in tempore occupaturus,

societatem ipse cum Childerico Francorum rege pepigit: sic armis in Rugilandiam promotis breui victor euasit, rege Felctheo et regina in captiuitatem abstractis anno 487. Elapsus fuerat Fridericus caedis patrator, qui mox anno postero bellum instaurans ditionem patriam recuperauit: quem tamen confestim Aonulfus Odoacri frater sede pepulit: tunc ne quid patrimonii recuperandum profugo deinceps restaret, placuit loca omnia in vastitatem dare: quod erat incolarum, inde procul auocatum, aedes funditus aequato solo, ne ipsis parcitum sepulcris.

Quam quidem rerum suarum cladem Fridericus exul haud segnius in Odoacrum vltus est: excitato enim Theoderico Gotho, apud quem versabatur causa non modica fuit eius belli, quo mox anno sequenti Odoacer petitus, deiectis per Gothos alpium Iuliarum custodiis apud Sontium fluuium, iterumque apud Veronam, apud Abdiam profligatus, postremo obsidione triennii Rauennae consumtus est anno 493. Ita Odoacer stragem Inuauensium luit. Extinctum adeo inde Rugorum et hinc in Italia Herulorum regnum: Fridericus enim ille, qui malum Odoacro creauerat, deserto subinde etiam Theodorico, inter Herulos orta rixa interiit. Tunc, vt Paulus Diaconus L. 1. Rerum Longob. c. 19. subiicit, Longobardi de suis regionibus egressi vene-

runt in Rugiland: subinde et in Pannoniam et in Noricum venturi.

Ennodius in panegyrico Theodorici regis memoriae tradit, Odoacrum, cum adeo a Theodorico premeretur, vniuersas contra eum quasi orbe concusso excitasse nationes: tot reges cum eo ad bella conuenisse, quod sustinere generalitas militum vix valeret; Francos, Herulos, Saxones: quos idem Ennodius in vita Antonii Lerinensis recenset: per harum gentium incursum nobilitatem excisam, terras desolatas, multiplices crudelitatum species belluarum more peractas: ea nationum inquit diuersitas superstitiosis mancipata culturis Deos suos humana credebant caede mulceri eorum maxima, quos religiosi titulus declarabat officii. Loquitur de Pannonia et Norico maxime Ripensi, vbi dioecesis erat Constantii Laureacensis antistitis, quem ait inter has temporum procellas ne quid in mundo haberet subsidii, terra hostibus deputata, humana lege liberatum esse. Haec adeo Germanicarum gentium tempestas ab Odoacro per foedus conducta, has in terras eo tempore desaeuit, inter miseranda rerum sacrarum iuxta ac profanarum excidia. Alemanni Gothis, Franci Herulis foederati: Saxones, quos Ennodius nominat, iidem scilicet erant, qui Longobardi: ex inferioribus Saxoniae

regionibus, vbi regnum habebant, huc profecti, ab Odoacro in foedus accepti sunt; quo extincto trans Danubium cepere sedes inter Rugorum reliquias, a quibus auita superstitione posita Arium hausere. Quo minus vltro in Pannonia aut Norico stationem tunc figerent, ab Theodorico iam Italiae rege prohibiti sunt. Hic regnum pari animo complexus refouere vrbes, et oppida vastata cepit. Plurimas renouatas vrbes, munitissima castella condita Cassiodorus in chronico loquitur. Praeter Italiam *Carnos, Noricos, Pannonos* in ditone habebat: hos populos Procopius experte nominat.

Alemanni Rhaetiam campestrem, puta Boiorum regionem insidebant, foedere, quod dicebam, Theodorico illigati. Verum paulo post alia rerum isthic facies. Alemanni quod contra Theodoricum non audebant, in Francos vertere bellum, sed id adeo infeliciter, vt profligati et dissipati nunquam inde reparauerint vires, sed alii quidem iugo Francorum colla submiserint, multi extorrium more ad Theodoricum confugerint, orantes, vt *intra Italiae terminos* reciperentur: quod adeo argumentum est, Rhaetiam illam secundam vt Romani vocabant, seu, vt Strabo, campos Boiorum, hoc tempore Alemannis eiectis in Francorum cessisse clientelam. Pugnata illa

pugna fuit apud Tolbiacum Vbiorum oppidum anno 496, quo die natalis christianae religioni apud Francos fuit: auspice Christo Chlodoueus vicerat. Theodoricus, quod petebatur, fugitiuis agros intra fines Italiae dedit, vt, qui prouinciarum fuerant vexatores, defensores fierent, atque custodes, vt Ennodius ait in landato supra panegyrico: simul per epistolam Chlodoueo gratulatus intercessor accessit, vt motus suos infestas reliquias temperet: quo satis probatur, quanta fuerit antea Theodorico cum eo populo necessitudo. Tum iis, quibus agros dederat, vt etiam per idonea iumenta consuleret, ea parte subuenit, vt prouinciales Noricos per epistolam appellaret, quo liceret Alemannis boues suos corpore grandiores, sed itineris longinquitate, per fugam scilicet praecipitatum defessos, cum bobus Noricis, minoribus quidem, sed ad labores idoneis commutare. Quo recte arguas, Alemannos vicinas Noricis occupasse sedes intra Alpes Italiam ambientes, quae ad Theodorici ditionem attinebant, vacue facta iam illa Boiorum regione: quae, si adhuc intra fines Theodorici fuisset, non erat sane, vt non illic magis, quam intra alpes perfugas illos collocaret.

Hoc itaque tempore oblitterato apud Boios Rhaetiae nomine gentilitium Boioariae reuixit,

ducibus e gente patria Agilolfingia constitutis , simul susceptis legibus , quas anno 511 Franci tulere : sed hoc tamen documentis compertum est , nomen quoque Norici antiquissimum regionis illius , vt dudum alibi dictum est , Boios sibi soepius exinde usurpasse. Noricis porro ipsis inter haec alta pax fuit , Francis , Thuringis , Longobardis , Hunnis , Sarmatis , Gepidis , et quod erat circa gentium , qua foedere , qua affinitate , qua bello et auctoritate compressis.

Hoc otio frui sub Theodorico licuit , nulla etiam sacrorum catholicorum , cum ipse Arianus esset , interpellatione. Artes etiam in prouinciis excoluisse inde colligas , quod ab ipso et structurae modus , et scripturae , quem gothicum in hunc diem vocant , initium sumpsit. Concessit fati anno 526 rebus inde paulo post inclinatis , incumbente imprimis Iustiniano orientis Augusto , qui anno 527 conscenso folio imperium occidentis respicere coepit , ac primum omnium Pannoniam sibi de Gothis asseruit , euocatis in eam Longobardis , qui iam bellis contra Herulos et Gepidas gestis inclaruerant. Nuper diximus , eos post Odoacri fata substitisse in Rugila , seu Rugilandia , vbi Gundechoum et filium eius Claffonem reges habuere ; motis haud procul inde sedibus in campis Affeld ,

vt Sigibertus scribit, habitauere sub Tattone rege, qui Herulorum iis in partibus regnum, Rudolpho eorum rege peremto destruxit: Successit inde Tattone interfecto Waccho, qui anno 519 demortuus Waltaricum filium successorem reliquit. Hunc anno 527 excepit Audoinus, qui Thurismundum Gepidarum regem aggressus deuicit.

Imperium Gepidae peramplum habuere: genus erat Gothicum: debellatis olim Hunnis Attilae filiis regionem omnem trans Danubium, quae magna Dacia erat, ad haec Maesiae et Pannoniae partem, in his tractum Sirmiensem ditione complexi, dudum Imperatoribus orientis inuisi. Itaque Iustinianus his vt froenum iniiceret, simul vti Marciani exemplo, qui Gothos olim in Pannonia locauerat, prouinciam illam Gothis Italiae raptoribus detractam suo iure diuideret, Longobardos in foedus acceptos in eam intulit. Munitiones Pannoniae, inquit Procopius, et ciuitatem Noricum concessit. Hoc ea gratia factum, vt prouinciam illam contra barbaros Gepidas, Hunnos, Sarmatas per barbaros tutaretur.

Intelligimus adeo, Pannoniam nunc per Longobardos occupatam: praeterea Noricum ciuitatem, de qua geographus vetustissimus qui  
sub



sub Honorio vivebat, ita scriptum reliquit. Apud Schlest. T. 2. Antiq. eccl. p. 629. Pannonia regio, terra omnibus diues, tum frugibus, tum et iumentis, et mercibus; quin ex parte et mancipiis: semperque ea Imperatorum sedes est. Habet porro et ciuitates maximas, puta Sirmium et Noricum; vnde et vestis Norica prodire dicitur. Hoc ipsum Noricum Pannoniae apud Stephanum Bizantium, et Epaphroditum celebratur ab aeris et ferri praestantia. Ita quidem scriptores Graeci: at enim in monumentis Romanis nullum omnino vestigium est Norici ciuitatis in Pannonia; nec in itinerario Antonini, nec in tabula Theodosiana, nec in codice praefecturarum; quod sane mirum; utique cum dicatur fuisse ciuitas maxima, Sirmio comparanda, quae haud dubie excidere in locorum recensitionibus non debebat. Nil propius vero est, atque si dicas, lapsum esse scriptorum graecorum, qui harum partium minus periti, cum Noricum ferri nobilissimi secturis ac certo vestium genere celebrari audirent, eiusque modi merces ad ipsos e Pannonia deueherentur, quod integra erat regio a Pannonia sane distincta, id pro ciuitate Pannoniae acceperunt: quo in sensu videtur et Procopius ciuitatem Noricum accepisse: quanquam is paulo scitius loqua-

quater ; ciuitatem Noricum distinguendo a munitionibus Pannoniae, vt recte in eam sententiam exponi queat vocabulo ciuitatis, graece *Polis*, id quod res erat, intellexisse, videlicet regionem Noricum pro eo, vt et alii scriptores antiqui, ac speciatim Iulius Caesar in commentariis suis diuersas Galliae ciuitates appellans, eas non pro oppidis aut locis priuatis, sed pro regionibus, populorumque classibus capit, ita ciuitatem Heduarum, ciuitatem Aruernorum, et alias; vt iam adeo vocabulo ciuitatis Norici hunc ipsum ad sensum exposito ex Procopii verbis id demum rescitur, Longobardos praeter Pannoniam etiam Noricum ab Iustiniano in sedem accepisse. Pulsi igitur inde per Longobardos Gothi.

Post obitum Theodorici Gothorum nuper in Italia regis Amalafunda filia viduata viro regnum illud administrabat pro filio puero Athalarico. Potentissimi circum hostes erant, hac Franci, qui iam regnum ad alpium Rhaeticarum fines promouerant: illac Iustinianus Imperator in occasionem intentus recuperandi occidentalis imperii. Nec firma domi potestas, gliscentibus inter ipsos Gothos dissidiis. Quo haud operose factum, vt limite conuulso Danubiano fines illi vicinis in praedam cederent: itaque

Norici certe pars aliqua, maxime Ripensis a Longobardis occupata. Subinde autem postquam Iustinianus in Gothos Belisario primum duce arma sustulit, potior etiam pars ab iisdem, alia a Francis subacta fuit. Coepit bellum Gothicum anno 535, atque ad annos inde viginti continuatum non nisi cum Gothorum excidio finem accepit.

Cum interea Theodebertus Francorum rex, qui Theodorico patri anno 534 successit, inuitante tempore Alemannos olim in Rhaetia collocatos, absistentibus sponte Gothis desertos, eosdem illos, quos hodie Tirolenses vocamus, redegit in potestatem: nec diu post patris vestigiis insistens Theodebaldus rex sub annum 549 ad Venetos vsque Noricosque penetrauit, capta regionis metropoli Tiburnia; vltius etiam prolaturus arma, nisi froenum gestientibus Iustiniani auctoritas iniecisset. Hoc certe, vt nunc narraui, factum Patres Aquileienses in Maranensi concilio in literis post multos abhinc annos ad Mauritium Imperatorem datis ita gestum prodiderunt, conquesti nimirum de hoc ipso tempore, Galliarum archiepiscopos in ecclesiis metropoli Aquileiensi subiectis, Beconensi (puta Beconensi seu Veronensi) Tiburniensi et Augustana sacerdotes, id est episcopos constituisse; ac nisi,  
in-

inquiunt, Iustiniani principis iussione commotio partium nostrarum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus pene omnes ecclesias ad Aquileiensem synodum pertinentes Galliarum sacerdotes peruaserant. Quae quidem relatio plures nobis ingerit notitias: primum de promotis Francorum ad has usque terras imperio: ad haec fuisse tum in his ecclesiis successionem episcoporum; etsi nomina eorum nobis ignota sint: ubi insuper intelligitur, Augustanam, apud Vindelicos certe, ecclesiam id temporis ad metropolim aquileiensem spectasse; quod de Veronensi et Tiburniensi nil nouum est.

Ceterum rebus Norici tam obscuris haec praeclara lux est, Tiburniam eius regionis metropolim suo fuisse praeside per hoc saeculum instructam; cuius et aliud documentum ad ferius tempus offeretur. Denique indidem agnoscitur cura antistitum Gallicorum, quam de religione orthodoxa apud Noricos tuenda gesserunt; quod et literis Nicetii Treuirensis archiepiscopi ad reginam Longobardorum datis demonstratur. Alboinus hoc tempore Longobardorum erat rex, Audoini patris, qui suos in Pannoniam induxerat, anno 542 defuncti successor. Hic ex domo Francorum sibi coniugem desumpserat Chlodouindam Chlotarii filiam, magnum haud dubie

religionis verae apud Noricos praesidium: id unum ad cumulum deerat, rex, qui Arium sectabatur: quem proinde ut in viam deduceret, auctor reginae Nicetius impense fuit. Stupentes, inquit, sumus, cum gentes illum tremunt, cum reges venerationem impendunt, cum potestates sine cessatione laudant, quod animae remedium non festinus requirit. Inde confutans errores Arianos, fidemque catholicam quotidianis apud tumulum S. Martini, Germani, Hilarii, Lupi episcoporum miraculis confirmans, ipsamque reginam exemplo Chlotildis excitans: Deprecor, ait, ut ociosa non sis: incessanter clama, incessanter canta: vigila, vigila, quia Deum propitium habes: rogo, ut sic agas, ut et gentem Longobardorum fortem super inimicos facias, et nos de salute tua, vel viri tui gaudere concedas. Verum conatus hic antistitis irritus quidem fuit, regina haud diu post extincta, alia tamen parte fructuosus, quod Rex Francos veritus in officio mansit.

Ita res quidem sacrae in Norico sub Longobardis utcumque constabant: quin et profanae, quod occupatis in Italia Graecis, Gothorumque detrimenta colligentibus Francis feriae Longobardis fuere. Gepidae tamen in latere haerebant, veteres aemuli: hos aggredi placuit, opportunis ad eam rem Hunnis Anaribus, qui nuper a mari

pontico, quo post Attilae mortem coniecti fuerant, reuerſi, reparatis in Scythia viribus Gepidarum fines oberrabant. Cum his arma ſociata: proelium atrox commiſſum, quo rex Gepidarum Chunnimundus occiſus, gens omnis ita contrita, vt exinde deleto regno ſeruire pars Hunnis, pars Longobardis coacti ſint; ex eo opibus et potentia aucti, a Noricis, aliisque ſtipatus Alboinus relicta Hunnis Pannonia cum vxoribus et natis, omnique ſuppellectili in Italiam properauit, pacto antea cum iisdem Hunnis inito, vt ſi quo tempore Longobardis neceſſe eſſet reuerti, ſua ruruſ arua repeterent.

Haec celebris illa Longobardorum e Pannonia, in qua annos duos et quadraginta reſederant, in Italiam commigratio, quo nouum iſthic ſibi regnum pepererunt, haud multum ſuper duo ſecula duraturum. Hoc oſtium Hunnis in Pannoniam penetrandi fuit, breuique et Sclauinis eodem venturis. Ceterum an et a Norico omni Longobardi deceſſerint, haud equidem dixerim, quando monimentis Aquileienſibus certum eſt, hoc adhuc tempore et deinceps epiſcopos in ſuis eccleſiis perſtitiffe, quorum et nomina inter conciliares Gradenſes ad annum 579 referuntur. Gradus inſula eſt Aquileiae vicina, in quam ſe Elias Patriarcha ( ſeu vt alii nominant Paulus ſeu

Paulinus episcopus) cum sacro ecclesiae thesauro propter Longobardos receperat, nouam sedem illic patriarchalem instauraturus; causam instaurationis huius, seu translationis idem Elias in conuentu suffraganeorum suorum (ita in eius concilii actis appellantur) perorauit: Dignum duxi, ait, carissimi fratres, mansuetudini vestrae commemorare, quod inter angores, quibus ecclesia Domini circumquaque depressa suspirat, et gentium ferocissimas clades, quae miserae nostrae prouinciae reliquias quater ac deuastare non cessant, quotidie hostile perpatimur flagellum. Iam pridem ab Attila Hunnorum rege Aquileia ciuitas nostra funditus est destructa, postea Gothorum incurſu, et ceterorum barbarorum quasata vix respirat, etiam nunc Longobardorum nefandae gentis flagella sustinere non valens. Haec et talia in coetu praefatus patriarcha decretum Pelagii II. palam legi promulgarique iussit, quo castrum Gradense in totius Venetiae et Istriae metropolim perpetuo confirmabatur; Idque ita in confessu statutum praesentibus episcopis, in quibus erat Leonianus, seu Leomanus ecclesiae Tiburniensis episcopus: Ioannes item ecclesiae Celeianae. Aderat et Maxentius ecclesiae Iulienſis, quem Norisius in Iulio Carnico ponit. Alios Foriuli et Histriae earumque partium episcopos ni-

hil hic opus referre: sed ex his tamen est euidens anno illo 579, quo ad diem tertiam Nouembris synodus illa agebatur, nihil adhuc Hunnorum aut Sclauinorum in terras metropoli Aquileiensi subiectas, in quibus et Noricum erat, uenisse. Vtique cum inter ferocissimas illas gentes eius provinciae vastatrices Hunni quidem antiqui sub Attila, non item isti Longobardorum successores memorentur.

Alia tamen clades tum erat huius ecclesiae propter discordiam cum Romana sede in causa trium capitulorum, ut vocant, non sine offenculo publico exercita, sic, ut in ipsa hac synodo episcopi isthic praesentes in verba Eliae patriarchae contra synodum quintam Constantinopolitanam, id est, contra iudicium apostolicae sedis nouo se sacramento obstringerent; quamquam Ioannes Caleianus episcopus paulo post resipuerit, Paulo diacono teste, L. 3. c. 27. qui eum recenset inter antistites, qui Pelagio pontifici contra Seuerum Eliae anno 589 successorem adhaeserunt. Durauit hoc schisma Aquileiense in longius abhinc tempus, sed id iam nihil ad Noricos, neque Noricorum quisquam antistitem in conciliabulo dehinc Maranensi anno 589, neque in Istriensi anno 591 celebratis assedisse legitur, neque iam Noricorum ecclesiae in potestate Aquileiensem erant



erant, Hunnis et Sclauinis isthac infusis. Cuius quidem irruptionis epocham cum praecise assignare non liceat, circa hos tamen annos contigisse certum est.

De Hunnis istis vt dicam, hos vulgo Auares, seu Auaros appellarunt. Iornandes Lib. 5. rer. Getic. Hunnorum gentem ad mare Ponticum, loco Hunniuar, suo aeuo habitantem bifariam diuidit; alii, ait, Aulziagri, alii Auri, qui tamen sedes habent diuersas. Ex his igitur huc locorum appulsis Auri potiores erant: inde nomen. Quos qui in gentem sclauicam, seu sarmaticam imputant, minime probo: quid enim tam diserta, tam perpetua apud scriptores veteres inter Hunnos et Sclauinos distinctio? Isti quemadmodum dicebam, occupata Longobardorum discessu Pannonia tantisper quieuerunt, ditone Longobardorum, quae adhuc in Norico perstabat, propter foedus et recens beneficium intacta; et erat adhuc in Pannonia, quod subigeretur. Sirmium maxima Pannoniae Sauensis ciuitas Gepidis ante annos triginta exactis in potestate nunc erat Imperatorum: hanc Hunni ceu mercedem belli sua maxima virtute contra Gepidas gesti repetebant ab Iustino iuniore; ac mox armis illatis triennii obsidione fatigatam Tiberio coniuente occuparunt anno 581. Hic gradus fuit ad inuadendos, qui in proximo habitabant, Sclauinos.

Slauicae gentes Sarmatarum coloniae dudum Illyrici cladibus notae, post Gepidas extinctos apud Istrum et Sauum Maesiae Dalmatiaeque finibus confederant. Hos aggressi sibi obnoxios, et tributarios fecerunt, iis deinceps vsi seruiliter: nam et in bellis gerendis quod erat periculi et laboris, per eos maxime exequabantur; cum proeliandum esset, Hunnis quidem in acie stantibus aggressionem facere Slaui debebant; vincentibus in praedam Hunni veniebant, sin loco pellerentur, in subsidium accurrebant Hunni. Hoc adeo instituto Sclavis sub Hunnorum imperio viuendum erat. Sed Hunni in tantum iam viribus et numero auctiores, inde Imperatoribus, hinc Francis incumbabant, Longobardis, quos et isti et illi exterminatos volebant, foederati.

Quo ipso tempore Noricum a Francis vniuersum occupatum est. Ea res Hunnorum arma exciuit: a Longobardis insuper excitati, quibus cum foedus antiquum fuerat, bellum ea parte Francis intulerunt. Tunc igitur Hunni cum Slauis Noricum inter se partiti, bipertito agmine, ipsi Ripense, Slaui mediterraneum inter hominum vrbiumque strages sui iuris fecerunt. Ex hoc tempore antiquato Norici nomine mediterraneum quidem iam Sclauinia ex nouis incolis, iam Carantania ex veteribus, qui adhuc intra montes

restiterant, appellari coeptum: quod ipsum proinde nomen etiam nos in posterum vsurpabimus.

Inquilini veteres Carantaniae ea barbarorum procella effusi planis desertis ad loca montuosa et auia se receperant; Slavis iuxta fluuios et per valles figentibus sedem. Obseruare est in hunc diem alpestria tum Carinthiae, tum et Stiriae, quae olim Carinthiae pars fuit, meris esse Germanis, puta Carnorum posteris infessa: genus vero Slauicum maximam partem iuxta Drauum, iuxtaque Iulium hodie Geylam amnes, et quae inde porriguntur, valles incolere. Sed maxima eius gentis multitudo, quod ex Pannonia sauenfi (quam hodie Croatae habitant) huc locorum aduenerat, in Carnia minore (hodie Carnioliam appellamus) confedit, suaque copia pristinae gentis reliquias et linguam absorbuit; ex montibus ocrinis Crini, inde Creini vulgo dicti. Quod vero Noricum Ripense fuit, ab Hunnis ad Anasum vsque fluuium eodem impetu correptum, exinde Hunniae et Auariae nomen accepit.

Ita nouum regnum Hunnicum per Daciam Pannoniam, Auariam et Carantanium constitutum: verissima pestiferorum agminum vagina, ex qua nulla iam requies Boioariae vicinae fuit; Longobardis enim foederati, et inde orientis imperium, et hinc Francorum ditiones habuere infestas; do-

mi forisque vasta omnia facere id bellum istorum, id institutum erat. Ex hoc tempore sane credibile est, vrbes et oppida Carantaniae caedibus et incendiis perdita, dehinc cultoribus destituta, in solitudinem et squallorem, ruderumque demum aceruum, vt hodie multis in locis per Carinthiam visitur, procubuisse. Quod enim vastitates istas assignant Attilae, eam ob causam cunctor assentiri, quod Attila populos, qui eius se fidei, et clientellae subdiderant, adeo non euerterit, vt etiam reges habere suos passus sit: neque aliud constet de Noricis, per quos Attila seu cum in Galliam, seu in Italiam tenderet, vltro citroque impune commeabat, nullo vsquam documento belli isthic exerciti. Neque Hunni id temporis in Norico sedem stabilem posuere, neque adeo necesse fuit ciues dispergi, aut e suis exulare domiciliis.

Inde et Tiburniam Norici mediterranei, id est Carantaniae metropolim ad haec vsque tempora viguisse, e proditis haecenus documentis compertum est: id ipsum iudicandum de Celeia, cuius episcopum nuper in concilio Gradensi vidimus. Nec puto diuersum sentiendum de Flauio Soluensi, Viruno, et aliis; quandoquidem et in Norico Ripensi, quod tamen hostium incurfibus longe erat magis expositum, oppida illa neque  
per

per Attilam, neque per Gothos diruta esse constat, aut certe subinde denuo restituta, prout ex actis S. Seuerini plus satis manifestum est. Quam vero postmodum cladem Odoacer in Fauiana aliisque locis ditioni Rugorum subiectis euertendis sub superioris seculi finem attulit, id eas vnice partes attingebat, ad mediterranea non pertinuit; vti nec ad Norici Ripensis tractum superiorem; vbi licet Alemanni fugatis incolis etiam oppida diripuerint, fuisse tamen iterum recreata, vel ex Laureaco coniiicere est, quod nisi octauo seculo funditus excisum non esse ex actis eius ecclesiae demonstratur. Quin fuit illud hac tempestate aduersum Hunnos Baioariae propugnaculum, quod vastata licet circum regione, hostes tamen, quo minus vltro proferrent imperium, vtcunque cohibuit.

Paria sentienda de statu vrbiū in Carantania, quas etsi interdum vastatas aut exustas, sub disciplina tamen Romana, quam nec Gothi nec Longobardi euerterant, fuisse identidem restitutas, par est credere. Sed nunc demum Slauis huc ordine immigrantibus cum omnia inundarentur, caesis aut fugatis ciuibus, agrisque vrbis per colonos barbaros occupatis; neque adeo essent, qui oppida diruta instaurarent, neque Slauum id curae sumerent rude hominum genus, aedi-

um fruendarum aut reparandarum nescium, suis  
que contentum mapalibus, atque ad vagum vi-  
uendi morem, ad castra potius, quam ad muros  
incolendos compositum, necesse profecto fuit,  
quod strage non corruerat, situ neglectuque con-  
sumi. Inde cadauera ista urbium, quae his in ter-  
ris occurrunt, maceris dissolutis, aut gleba ob-  
rutis. Hanc ego cladem denique, quod aiebam,  
Slaui vnice et Auaribus tribuendum iudico.  
Quod enim antea fuerat irruptionum a barbaris,  
id temporarium fuit in modum turbinis, reditu  
ciuibus, qui supererant, ad instaurandum non  
intercluso: at vero hospites isti, qui postremi huc  
locorum venerunt, sede stabili fixa, locum instau-  
rando non reliquerunt.

Atque dignum notatu est, in ruderibus Fla-  
uii Soluentis, de quo potissimus clamor est, ab  
Attila euersum esse, cum et Megiserus amplam  
obsidionis eius et pugnarum cruentarum, et se-  
cuti demum excidii descriptionem faciat; num-  
mos tamen longe recentiorum Imperatorum vt  
Anthemii, Anastasii, Iustiniani nominibus insignes  
nostra etiam aetate repertos esse: quod ni fallor,  
indubitatum argumentum est, urbem illam diu  
porro post Attilam vtcunque mansisse. Idem  
statuendum de Liguria Megiseri, quae alia esse  
nequit quam Liburnia seu Tiburnia, de qua di-  
ctum abunde.

Sed haec haëtenus ; expedita sic demum status Carinthiae , prout sub Romanis principibus , aut certe ad Romanos se referentibus Gothis et Longobardis habuit , Noricique nomen gessit , historia . Quae vero alia , aut ab his diuersa Megiferus refert , ne mentione quidem putauit digna : multa enim superuacua sunt , multa fabulosa , tralatitia pleraque , nec auctore , nec documento idoneo suffulta : quem in cumulum maxime coniciendus est ille praesidum Noricorum , seu praefectorum Carinthiae catalogus , nominibus constans ex historia augusta temere huc applicatis : eiusdem vanitatis sunt duces illi , qui iam seculo sexto in Carinthia rerum potiti de nomine referuntur : quae nihil interest collato pede refellere : sunt enim statu illo rerum veterum vel modice expenso suoapte contrectabilia figmenta , quae si confutanda particulatim essent , et scribenti tempus , et legenti inane tereretur .

O. A. M. D. G.


B. M. V.

H.

Sed hanc hactenus; expedita sic tenentur.
   
 In Carthagine, prout sub Romano principibus,
   
 ante eorum ad Romanos se retulerunt Gothi et
   
 Langobardi, dicitur, Norwicus nomen Gothi, hi-
   
 storici. Quae veritas, aut ad his dicitur in-
   
 scriptus esse, ne mentione quidem putari digna;
   
 multa enim lapideis sunt, multa, sicut tra-
   
 ditum est, nec auctore, nec documento
   
 idoneo testatur; quoniam in conspectu maxime con-
   
 sideranda est hic praesidium Norwicum, seu pra-
   
 sedium Gothorum, non minus, non minus con-
   
 sideranda est hactenus auctore huc applicata;
   
 eiusdem veritatis sunt duces illi, qui hanc sculo
   
 tanto in Carthagine terram hactenus de nomine re-
   
 tulerunt; quae hactenus interit collatae hactenus
   
 res; tantum enim hactenus illo tempore veterum vel ma-
   
 gis ex parte hactenus contra hactenus argumenta, quae
   
 hactenus hactenus hactenus hactenus, et scribunt
   
 tempore, et hactenus hactenus hactenus.

O. A. L. D. E.  
 B. M. V.  
 H.





ŠTUDIJSKA KNJIŽNICA PTUJ

L 168